[4]
(3)

EPITHALAMIA.

SIVE

LVSVS PALATINI IN NVPTIAS CELSISSIMI PRINCIPIS DOMINI FRIDERICI COMITIS PALATINI AD *RHENVM, &c.* ET *SERENISSIMÆ* ELISABETHÆ IACOBI *POTENTISSIMI BRITANNIÆ REGIS FILIÆ PRIMOGENITÆ.*

OXONIÆ,

Excudebat Josephus Barnesius, & Londini væneunt apud Johannem Barnesium propè aqueductum Holbornienſem, 1613.

OXONIA
HEYDELBERGÆ.

QVÆ *ſacra* Muſarum mittit *feſtiva* ſorori
Chara *Heydelbergæ Nympha Calena* ſuæ,
Aſpice quo teneram FRIDERICVS lumine *ſponſam*;
Sic nullum in toto carmine crimen erit.

SOlvite virgineas ô Muſæ ſolvite zonas,
Et pariat Muſas ſingula Muſa novem.
Ingenium fœcundet Hymen, & virgo papyrus
Non niſi fœlici ſit violanda ſtilo.
Non opus eſt agili palmas præbere Luperco,
En ſine Lucinâ parturiunt calami.

OXONIA
HEYDELBERGÆ.

QVÆ *ſacra* Muſarum mittit *feſtiva* ſorori
Chara *Heydelbergæ Nympha Calena* ſuæ,
Aſpice quo teneram FRIDERICVS lumine *ſponſam*;
Sic nullum in toto carmine crimen erit.

SOlvite virgineas ô Muſæ ſolvite zonas,
Et pariat Muſas ſingula Muſa novem.
Ingenium fœcundet Hymen, & virgo papyrus
Non niſi fœlici ſit violanda ſtilo.
Non opus eſt agili palmas præbere Luperco,
En ſine Lucinâ parturiunt calami.



EPITHALAMIA.

QVI fuimus nupèr luctus, (REX magne) faveto,
Lætitiæ vt ſimus participéſq; tuæ;
Sic juvat HENRICVM reparare, externaq; regna
Quærere ſic, regnis accumulanda tuis;
Quid patriam liquiſſe, & mœnia patris, ELISA?
Pro patre pro patriâ eſt vir ſoboléſq; tuo;
Vir ſoboléſq; patri columen, patriæq; columna,
Quæ circà æternùm ſtet veneranda ſenem;
Non tibi ſint triſtes curæ, ſed fulgeat iſte
Candidior ſemper, candidiorq; dies.

THO: SINGLETON *Vicecan: Oxon. & Principalis Coll. Ænei-Naſi.*

חתנה ברוכה שלמה ביראת אלוהים
מארה ותיהיה מהדה עבורת אלילים
אמונת יהוה לעולם יסודת מלבים
עבורה וזרה מסבה שממת סרנים

יהוה יברך קדושה חתנה לעולם
ויתיו אהבים תמימים ארוכים בשלום

RI. KILBIE *Linguæ Hebraicæ Professor Regius & Coll. Lincoln. Rector.*

ELISABETH faustum nomen, faustum FREDERICVS,
Omina fausta, deus, nomina juncta ferant.
Jungi *Papa* dolet fatalia nomina; *Romæ*
Dudùm infesta timet, juncta timenda magìs.
Invisum, *Iesuita* pecus, tibi sæva per iras
Ilia rumpuntur, quòd tibi præda perit.
Exoptata tibi in prædam virgo ELISABETHA,
Vitavit fauces virgo beata tuas.
Io canunt hilares *Musæ*, placidosq; Hymenæos
Dant *Charites*, læti *Rhenus Isisq;* fluunt.
Plaudit Christicolûm & gaudet gens tota *Britannûm*,
Et partem HENRICI gestit habere sui.
Non ille *Henricus* tantùm fuit & *Fredericus*,
Auspicio factum est hoc, FREDERICE, tuo.
Ne quis in *Henrico Henricum* occubuisse putârit,
Ecce iterùm *Henricum* quà *Fredericus* erat.
Impar si numerus gratus, redit in FREDERICO
Impar, quem dederat mors truculenta parem.
Summe Deus, pater omnipotens, cui militat æther,
Terra, fretum, & gemini cærula tecta poli,
Quos pietas & relligio, quos vnica virtus,
Et sacræ legis sollicitudo tuæ

Con.

Conscivit thalamos, fœlicitet alma favoris
Dextra tui, & longos det sine fine dies.
Exeat vt thorus hic numerosa in germina, prolem
Vt reducem videas, REX IACOBE, tuam.
Vive diu fœlix, REX, quo non dignior alter,
Vt numeres annos quot tua vota vocant.
Sit CAROLVS *Magno* major, sit *Maximus*, & quo
Nomine *Roma* stetit, *Roma* superba ruat.

ROB. ABBOT *Sacræ Theologiæ Professor Regius, Magister Collegij Baliolensis.*

HENRICI SEPTIMI REGIS OPTIMI *Genius Illustrissimam Virginem* ELIZABETHAM IACOBI *Magnæ Britanniæ Regis filiam admonet.*

VIrtutis studio me Deus extulit
Vltorem tetricæ sæpe tyrannidis:
Tu VIRGO celebris sanguine regio
En de stirpe meâ ducis originem.

Vt vivas meliùs, tutiùs imperes,
Et fœdus Thalami sanctiùs excolas,
Vt *Christo* genitam, lumine *spiritus*,
Te illustrem referas, & famulam Deo;
Audi quæ *Proavus* mortuus admonet.

Fœlices atavas, & generis tui
Pervolvas seriem, stemmata, purpuras,
Et sacros cineres ære reconditos;
Margaretta mihi mater erat pia,
Margaretta mihi filia Nobilis,

Præluxit reliquis laudibus vtraq;,
Evexit populos viribus vtraq;.

Harum te pietas vivere dirigat,
Harum te probitas instituat mori,
In te castus amor regnet & ardeat,
In te fax fidei vera reluceat;
Nullis cede malis; purpureus cruor
Christi te redimens sola sit hostia.
Non te commoveat vana superbia,
Aut mundi levitas, aut furor igneus,
Sis splendor atavis, gloria posteris,
Regno præsidium, grata parentibus,
Lumen Principibus, civibus anchora,
Mœstis auxilium, pauperibus salus.
Virtuti invigiles, & fidei tenax
Veræ, discutias vincula Dæmonis,
Tu pompas fragiles despice provida,
Consortem thalami dilige Nobilem.

Sic fœlix soboles proficiet tua,
Et crescet medijs tuta furoribus,
Sic mater celebris prole *Britannicâ*
Vives, & *Comiti Sara* ferax tuo,
Christo Martha humilis, dulcis odor *Deo*;
Sic fœlix thalamus, progenies pia,
Successus stabilis, perpetuus nitor,
Fructus certus erit; laus, sapientia,
Maiestas, pietas, splendor, amor, salus
fine carebunt.

Io. Williams *S. The. Doct. & Prof. Public.*

NVllus *Hymen* croceo hîc cinctus velamine præsit,
Nec ferat ardentem pronuba *Iuno* facem.
Hæc aliquid majus poscunt *connubia* numen,
Et thalami flammâ splendidiore micant.

Rex cœli terræq; venit, sacra flammea portans,
Et cestón lateri, regia virgo, tuo;
Qualis erat populo *Galilæâ* notus in *vrbe*,
Cùm liquidas vinum nobile fecit aquas.
Nos quoq; sentimus Numen, modò signa doloris,
Jam prę lætitiâ prosiliunt lachrymæ.
Si qua fuit tanto, fuit hęc medicina, dolori,
Non lachrymarum alitèr nostra fit vnda merum.
Divine ô *Hymenæe* fave, vincloq; jugali
Junctos perpetuo firmet Amore fides.

℞. HOVENDEN *S.T.D. Coll. Omnium Animarum custos.*

QVod fœlix faustumq;. Oramus pectore toto.
Ecce Prophetarum vel devotissima vota,
Applaudunt Charites, Musæ lætæq; sequuntur,
Inq; vicem sibi promittunt consortia fausta.
Quæ Deus omnipotens constanti lege ligavit.
Speq; fideq; bona, Vos ô clarissima mundi
Lumina, prælucete pio populoq; fideli.
Et facite vt castum, fęcundum, nobile, sanctum
Connubium vestrum celebretur quaquaversùm.
Vestra facit pietas (omnes ea crescat in annos)
Vt nos non dubij teneamur; polliceamur,
Certi de vestra pietate, ast omnia fausta.
Cæpistis benè, sed benè pergite & Auspice Christo,
Vltima succedant benè consentanea primis.
Et quæ supplicitèr jam devotèq; precamur,
Facta vbi conspiciemus, erunt narrata per orbem,
Vt pater omnipotens, vobis qui sic benedixit,
In vos continuò pergat bona conglomerare.
A patre cœlesti fient hæc omnia rectè,
Rhene triumphato, & tu Magna Britannia gaude.

R. KETTLE *S.T. Doct: Collegij Trin. Præses.*

QVis Rheni populos, primi quis nomen Othonis
Egregiosq; viri possit nescire nepotes?
Quisvè potest generosa referre trophæa nepotum,
Virtutesq;, animosq;, & relligionis amorem?
Hinc tuus orditur (pulcherrima SPONSA) Maritus;
Hinc tua (si vestræ memini benè tempora gentis)
Dicitur alma domus primam quoq; ducere stirpem:
Nunc es in antiquam, serò licet, insita gentem.
Perge, peregrinas fœlicitèr, I, pete terras:
O, precor (& justis concedite numina votis)
Exeat vt numerosa tibi, quasi sydera, proles,
Vt centum centúmq; geras fœcunda Monarchas.
Et si fata volunt, rerumq; ita voluitur ordo,
Surgat ab ELIZÆ generoso sanguine, surgat
Qui regere indomitum possit virtutibus orbem,
Auspicijsq; suis Aquilam prensare volantem;
Quam doceat nostros comitari & amare leones.
Sic esto; veniat lustris labentibus hora.

GEORGIVS RYVES *Sacræ Theol. Doct. Collegij Beatæ Mariæ Winton in Oxon Custos.*

NOn caret effectu duo quod voluêre; nec ergò
Quatuor aut plures quod voluêre, caret.
Quinq; duos stabili satagunt conjungere nexu,
Ipse *Deus*, *Nupti* bini, & *vterq; Parens*.
Nil ergò impediat quod tot voluêre volentes,
Párq; voluntates vis comitata pares.
Nullus homo hunc *triplicem* conetur rumpere *funem*,
Non lis, aut casus, resuè dolenda secet.
Nemo secet quos tot fælicia vota coarctant,
Nemo secet quos tam firmus adunat amor.

Ne-

Nemo ſecet Sancti quos conjunxêre parentes,
Quæ *Deus* vnivit vincula, nemo ſecet.
Vtq; voluntatum effectus conjunctio, proles
Hujus ita effectus *multa potens*q; ſuat.
Multa ſuat longè quo ſe, latéq; propaget,
Sitq; *potens*, hoſtes frangat & illa ſuos.
Multa ſimúlq; *potens*; vt totum excelſa per orbem
Tàm ſit amanda bonis, quàm metuenda malis.

LEON. HVTTEN *S. Theol. Doct. ex Æde Chr. Prab.*

COnnubium fœlix reparat nova gaudia, mœſtos
Solatur, *Britonum* ſpes alit atq; pias.
Religione pares qui junxit, prole beatos
Reddat, quæ ſacret corda manúſq; Deo.

HEN. AIRAY *Sac. Theol. Doct. Coll. Reginæ Præpoſitus.*

QVid conor? Lætas neſcit mea Muſa choreas,
Nec calamo pulſare lyram, ſed quod decet, offert.
Fauſta precatur, ovat, geſtit, fœlicia ſumma
Optat, & Imperium præſagit: Teq; *Mathildæ*
ELISABETHA cupit Sociam, FREDERICE Potentis
Henrici Hæredem, ſobolem tibi, tota per orbem
Quæ ſceptro populos diſcat frænare ſuperbos,
Et reſerare fretum, & non nota repagula ponti.
Pars reparata tui ſit (Magne JACOBE) doloris,
Anglia lætetur, firmetur CAROLVS iſto
Conjugio, fratrum concordia fulciat orbem:
Papa fremat, Chriſtus beet, ejus ſponſa triumphet,
Et Thalamo præſit per ſecula *Rheno-Britanno.*

Henrici primi Angliæ Regis Filia Imperatrix. Henricus quintus Imperator eius ſponſus. Imperii ſocios cupit experteſq; dolorum.

GVLIEL. GOODVVIN *Sacræ Theol. Doct. Ædis Chriſti Decanus.*

Hinc

HInc triſtes gemitus abite, tuq;
Solis exequijs *Thaleia* grata:
Adſis *Melpomene*, noviſq; ſacram
Pangamus *thalamis* thalaſſionem.
Sit nobis ſacer hic per omne ſeclum
Signatus nitido dies lapillo,
Quo vitâ ſimiles duo, pareſq;,
Virgo regia, regiúſq; *ſponſus*,
Fœdus legitimi tori ſacrârunt.
Et tu ſtelliferi potens *Olympi*
Rex audi populi preces *Britanni*:
Da menſam numeroſa turba cingat
Fœlicis ſobolis; ſatis *Britanno*
Vt tellus vtero *Sicambra* plaudat.
Annos *Neſtoreos*, dies *Sybillæ*
Da poſthæc videant ſenes vtriq;,
Da ſemper cytharâ jocoſa lętâ
Cantet *Melpomene*, nec atra rurſùm
Fundat funereos *Thaleia* planctus.

FRAN. BRADSHAVV *S.Th. Doct. Coll. Magd. Soc.*

LEx erat antiquis ſub Regibus impia, *ſponſas*
Quæ dabat ingenuis per mala multa procis.
Crudeles nimiùm patres, diſcrimine lethi
Ambiri natas qui voluêre ſuas.
Bis ſeni periêre viri, [a] pluresq;, cubile
Dum gratum peterent *Hippodamia* tuum.
Oenomaï tandem perfregit *Myrtilus* axem,
Piſæa effugeres vt benè tela *Pelops*.
Qui trepidus fuerat curſu [b] *Megareïus* Heros,
Ne raperet victum mors fera dente truci,

[a] *Tredecim. vel vt alii, ſeptẽdecim.*

[b] *Hippomenes, Neptuni nepos, Megareus fuit.*

Cur

Cur[c] *Atalanta* tuas evertit callidus artes?
Cursum tardârunt [d] *aurea mala* tuum.
Quid memorem *Herculeas* [e] fluvio luctante palęstras?
Tanti operis pretium [f] *Deïanira* fuit.
Non sic ELISABETHA Tuum divendis amorem;
ELISABETHA, Tui gratia prima soli.
Tu non *auratis malis*, non *amne subacto*,
Non *fallente rotâ*, das quasi *victa* locum.
Sponsa tamen facta es regali plena decore;
Te *Sponsam* fecit relligionis amor.
Hinc tibi præ cunctis placuit clarissimus *Heros*,
Cujus ab ore pio gratia mira fluit.
Cujus in *augusto* pellucet *pectore* virtus,
Et quicquid veræ lux pietatis habet.
Prima PALATINÆ stirpis FRIDERICE columna,
Quàm verè *Angligenus* Tu modò dexter ades
Haud dictu facile est: pertentant gaudia mentes
Cunctorum; (nisi queis Roma superba placet.)
Undiq; nunc plaudunt populi; FRIDERICVS ELISAM
Coniugio stabili quòd facit esse suam.
Quis locus *Indorum*, quæ sic impervia famæ
In terris regio est? Insula quævè maris?
Quò non *coniugium tantum* rumore secundo
Pervenit, & lætis plausibus excipitur?
Qui *Fescennino* delectant ludere versu,
Per me illi ludant, non ego sic sapio.
Compellare licet tua numina blande *Thalassi*?
Aut numen recolam ficte *Hymenaee* tuum?
Non faciam; levibus sunt hæc recitata poetis:
Dat *verum Thalami* pagina sacra *Deum*.
Hic Deus est, qui alti templa incolit aurea cœli:
Hujus ab auspicijs ELISABETHA Tibi

[c] *Filia Scheni Regis in Scyro Insula*
[d] *Tria, à Venere accepta.*
[e] *Acheloo.*
[f] *Filia Oenei Regis Aetoliæ.*

Nupta, PALATINE, est: hinc, hinc connubia læta,
Quæ canimus; sacri & culcitra strata tori.
Vivite concordes, fœlices vivite; nulla,
Vestros infestent tædia nulla dies.
Vosq; Deus faciat perpulchrâ prole parentes;
Lætifica socerum sic FRIDERICE tunm;
Sicq; tuam matrem clara ELISABETHA beabis:
Læta aget & festum *terra Britanna* diem.

SEBASTIANVS BENEFIELD *Sacræ Theol. Doct. Collegij Corporis Christi Socius.*

NOn homo, non gentes, non *separet* vlla Potestas,
Quos voluit vniri Deus.
At quos Nobilitas, Pietas quos junxit, & ætas,
Hos voluit vniri Deus.
Nobile *Par*, Mundo sub fausto sydere Natum,
Ad hoc beandum sæculum.
Vivite fœlices, numerosâ prole Beati:
Amore constantes Pio.
VXOREM *Thamesis* celebret, *Rhenusq;* MARITVM;
Vtrumq; Posteritas colat.

GVLIEL. LAVD *Sacræ Theol. D. Coll. Ioan. Præses.*

Removens prohibens, seu Carmen παρακλευστικὸν *ad nuptiale gaudium.*

EN subijt *Princeps* vno pro *Principe* binus,
Amissi qui conduplicat solatia *Fratris*;
Quid ni & multiplicet? quando alter, *compare* fœlix,
Prolifici jam jura colit genialia lecti.
Ergò elegi elogijs, lethalia carmina lætis,
Et Tumulus Thalamo cedat: Coït, absq; pari, *Par.*

Em-

Ἐπιθαλάμιον.

Quòd nunc instat *Hymen*, summè mihi perplacet omen,
Tædas coniugij parans.
Fausta *Valentini* redeunt jam *Festa*, futuram
Pergratam *Dominam* sibi
Sortitò cum *quisq; legit*, quam observet, ametq;,
Nullis non studijs colens.
Huc etiam accedunt & *Bacchanalia Festa*,
Quæ curant genium, & jocos.
Adde, quòd & *Dominus* quo subterranea regna
Liquit, nunc sacer est *dies*.
Hæc ergò *triplici* gaudent Connubia *Festo*;
O *festum hunc* meritò *diem!*
Quid, quòd & emergunt nunc primula tempora *Veris*,
Rident cùm omnia suavitèr,
Et gaudent, florentq;! omnis cùm germinat arbos,
Fructum pollicitans suum;
Vtq; intertextæ fiant de more corollæ,
Miscentur violis rosæ.
Jamq; maritali promptè vt famuletur honori,
Cui vel sydera militant,
Gutture ludit avis, sociam sibi quæq; coöptans,
Tanquam horrens venerem vagam.
Ergò *bonis avibus* pergant *Connubia* cæpta,
Quæ vernum faciunt magis
Ver ipsum; quoniam nunc *ætas* vernat vtriq;,
Veris quæ superat decus;
Floq; pudicitiæ, nondùm libatus, vtrumq;
Ceu *ver* condecorat *novum*.
Omnia quàm bellè coëunt hæc *omina*! *Sponsis*
Fausti nuntia vinculi.

Nos quoq; (ſiquid habent *vota* ominis) omnia (quadrant
Quæcunq; auſpicijs bonis)
Optamus cupidi; niveoq; è pectore promptas
Quas non concipimus preces!

Io. Ravvlinson *S.T.D. Aulæ Sancti Edmundi Principalis.*

PRima tua ornârunt tædas *mirâcla* jugales
Chriſte, ad *coniugium* maximus *Hoſpes* ades.
Ioan. 2. Vis tua (conjugio fieres nè improvidus Hoſpes)
In vinum tenues nobile *mutat aquas.*
Olim qui Nuptis *Canæ*, nunc Hoſpes & adſis
Sacrato Iunctis fœdere conjugij.
Altera fac primis miracula conſona: Noſter
In nova mutatus gaudia luctus eat.

G. Langton, *Sacræ Theologiæ Doctor Coll. Magd. Præſes.*

VLtra *Alpes* Thalamos cum buccina fama tuliſſet
Elisabetha Tuos, & Frederice, Tuos:
Ingemuit *Babylon*; & adhùc poſt fata vireſcunt
Nomina (ait) Cathedræ pernicioſa meæ?
Perfida quid frendes? *Deus* hæc *Connubia* junxit,
Creſcat vt in tali fœdere priſca fides.
Neſcio quid dictat mihi mens præſaga, vel *iſto*,
Aut ſimili ſaltèm vulnere, *Roma* cadet.

Io. Prideaux *Sacræ Theologiæ Doctor Coll. Exon. Rector.*

Hinc

HInc procul, ô procul hinc fati præsaga siniſtri,
Abſit avis, lætis ſed vinctus tempora ſertis
Adſit *Hymen*, ſacris & pronuba *Iuno* maritis,
Cælicolæ & reliqui faciles hymenæa frequentent.
Et mea *Muſa* thoros, *pulcherima Copula*, Veſtros
Concelebret; noſtris accedant numina *votis*.

Vota.

Ducite longævæ fœlicia tempora *vitæ*,
Ire ſimùl, dormite ſimùl, *Vos* nulla ſimultas
Diſſimiles reddat, triſtes non *corpora* morbi,
Non *animos* curæ macerent, ſors regia *ſortem*:
Non ſuperet veſtram, *cenſum* non copia *Cræſi*,
Non *annos* cerui veſtros, non Turtur *amores*,
Non Hederæ *amplexus*, non *murmura* blandà columbæ,
Gaudia non ſuperi, non vincant Sydera *prolem*.

H. Bvst *Med. D. Coll. Magd.*

LVcescit: procùl hinc procùl *Tenebræ*,
Heroïs animis graves *Tenebræ*;
Hinc *Suſpiria*; & hinc procùl *Dolores*;
Hinc *Planctus*; *Lachrymæ*; pia & *Querela*,
(Nota proh nimiùm Querela Muſis!)
Diſcedant *Elegi*; graves *Iâmbi*;
Paſſu carmina quæ ſeveriore
Morti aptiſſima ſunt, vel apta Scenæ
Calcet quam tragici decor cothurni.
Diſcedat Genio benigniori
Quicquid inſipidum vel indecorum.
Perplacet levior chorea Muſis;
Et, quæ pruriat, artifex loquela;

Quæ novas poterit movere flammas,
Susurroq; levi titillet aures.
Satis *Melpomene*, satisq; *Phœbus*,
Fuderunt gemitus profundiores.
Nostris carminibus favebit alter;
Chori tuq; HYMENÆE prime nostri
Docebis numeros, pedesq; molles:
Et, quæ *Melpomene* celebriores
Exercet gemitusq;, Lachrymasq;,
Sororum associet lubens choreas,
Vel segnis sedeat relicta; mœsta
Sola quòd medijs dolet triumphis.
Risus, gaudia, blandulæq; voces,
Hymnuli, Veneres, Cupidinesq;,
Pompæ, ludicra, spiritus jocosi
VALENTINE tuo quadrant *Diei*.
VALENTINE Parens Amoris alme,
O, & *coniugibus* sacer futuris,
Te ius, ominis & vigor, nec vna
Te superstitio creet Patronum.
Ecce quàm manibus coïre junctis
Prompta est *Isidis* vnda, & vnda *Chami*,
Et saltant *Modulaminis Magistræ*
Veloci pede, gestiente planta,
Pulchrèq; ambiguos referre motus
Gaudent, ne saltüisse non putentur.
Herba nuper hebes, sepulta somno,
Experrecta caput levat, suosq;
Promittit digitis amica flores;
Flores, nectere queis licet corollas.
Fugit nunc hyemalis horror; annus
Spiritu homini novos ministrat;

Cun-

Cuncta lætitiam, bonumq; spirant,
Et Lucis Genialioris vsum.
Ergo pergite, pergite ô Camœnæ,
Nec mutas habeat Dies Camœnas;
Nec tristes videat Dies Camœnas;
Sed nec tardigradas sciat Camœnas;
Sed versu leviore quæ ferantur,
Et quæ blandiloquis, amiculisq;,
Et passu numerosiore pôstis
Vocibus voveant TORO JVGALI
Fortunæ faciem sereniorem.
RHENVM THAMESIS obtinet Maritum.
Hymen, ô Hymenæe Numen almum
Salve, CONIVGIBVS future fautor.
VXORI faveas, fave MARITO,
Hymen, ô Hymenæe Numen almum.
RHENVS maximus, amniumq; Primus,
Fœcundissimus amniumq; RHENVS:
Nulli THAMESIS alteri secunda
O, sit fertilis, Amniumq; Mater;
Multitudine nota RIVVLORVM,
MATREMqui referant, PATREMq;, RIVI,
Amborumq; genus ferant PARENTVM.
Audi quod petimus, ratumq; nobis
Fac Votum SACRA TRINITATIS AVRA.

ED. LAPVVORTH *è Coll. Magd. in Med. Doct.*

LOngas incusare moras jam desine, PRINCEPS;
Dispulit en lætus tædia lenta dies.
Jam pleno lætare sinu, clarissime PRINCEPS,
Sponsam regalem *Tu* tibi dignus habes;

Quam

Quam peteret *Gallus*, magno mercetur *Iberus*,
Italus ambiret, *Tu* tibi dignus habes.
Digna quidem VIRGO, quam *Græcia* mille carinis,
Quam peteret votis *Cæsar* & ipse suis.
Et parili lætare modo, Tu *Regia* VIRGO,
Et tantum & talem quæ tibi nacta virum;
Expeteret quantum vel quævis fœmina *Princeps*,
Expeterent qualem vota vel ipsa Tibi.
Vivite fœlices longùm, cum PRINCIPE PRINCEPS;
Sint multi nati, multus & inde nepos.

THO. CLAYTON *D. & Regius Professor in Medicinâ.*

IN *nova fert animus*, quoniam nova fert novus annus.
Annus faustus erit, sic novus hospes ait.
Oris *Angliacis* hospes novus illius ergô
Re magnus, major spe FREDERICVS adest.
Cui natura nihil, nihil ars regale negavit;
Dignum laude nihil mens generosa fugit.
Corporis effigies germana exorat amorem:
At superat pietas quæ super astra volat.
Atq; *Valentinus* vult PALLATINVS ELISA
Esse Tuus, solùm gaudet amore Tuo,
Totus amore Tuus, Tibi carnem factus in vnam,
Corq; vnum, vt fiat consocialis amor.
Ad *Rhenum* prorumpat amor velut amnis inundans
Angliacas ripas ELISABETHA Tuus.
Scotia Te peperit, nutrivit Te *Anglia*, cantent
Germani laudes, facta fidemq; Tuam.
Inclyta VIRGO Tuo Deus est in vtroq; Parente:
Ostentet terris Te Tua vita piam.

Cœpi-

Cæpisti rectè, nè cedant vltima primis,
Sed præstent, & eris Tu *Iove* digna viro:
Conjuge sic fœlix FREDERICVS, ELISA Marito,
Horum & Vterq; suâ prole beatus erit.
Sic natis & eis qui pòst nascentur ab illis
Læta canet lætis lætus vterq; Parens.
Faxit. *Christe* precor benedicas, dicat ab imo
Anglus & ad *Rhenum* qui colit omnis, *Amen*.

IOH. ABBOT *in S. Theol. Inceptor, Coll. Baliol. Socius.*

QVàm benè Tu ducis, DVX optime? quàm benè ducta
It comes ad Thalamos ELISABETHA Tuos?
Solus Tu faceres tali de *Virgine* Sponsam,
Et sola Hæc faceret Te FREDERICE Virum.
Fœlices Animæ, quas Ætas, Optio, Virtus,
Et Genus, & Splendor constituêre pares.

THO. SELLER *è Coll. Trinit. Almæ Academiæ Procurator.*

NOn in carminibus *Musæ*, nec *Apollo* vocandus:
Hùc ades alma *Venus* comitata *Cupidine* nato,
Fer tecum pharetras, atq; aurea tela *Cupido*,
Plumbea linque domi. Huc *Hymen* ades ô *Hymenæe*,
Tu mihi divus eris, tibi soli altaria fumant.
Nec solus venias, *turbâ* comitatus adesto
Virgineâ, non quæ claustris, viduata maritis,
Vivit, sed thalamos dulces quæ expectat in horas:
Quæ, dum casta suo nupta est cum *Turture Turtur*,
Hoc caneret factum sine *Musâ* & *Apolline* carmen.

Salve *festa dies* niveo signanda lapillo,
Quæ nunc Connubio stabili *Par Nobile* jungis.
Sola PALATINO PRINCEPS quæ digna *Marito*,
Tuq; COMES solus qui PRINCIPE *Coniuge* dignus
Vivite fœlices. Qui soli damna potestis,
Quæ patimur, posthàc nobis reparare *Britannis*,
Vivite fœlices. Placido *Vos* lumine cernat
Alma *Venus*, *Vos* & multâ cum prole beatos
Efficiat. Surgant *Vestro* de *sanguine* multi
HENRICI, sint & *Romæ*, Triplicíq; Coronæ
Terrori; fidei veræ, patriæq; columnæ.

RICHARDVS SPENCER *Baronis filius natu secundus, Art. Bacc. è C.C.C.*

LVctus funeribus datos nefastis
Instans *festa dies* vetat novare.
Mirum quàm facies *novata* rerum,
Maturâ, licèt insolentiori,
Tempestate. Toróne nuptiali
Inservire studet Noverca nupèr,
Nunc natura Parens? Carere fronde
Sylvas jussit hyems: *Hymen Vemúsq;*
(Indignante minùs potente matre)
Suadent plus solito virescat arbos.
Si campus neget, hortulus recentes
Flores suppeditat, priùs renasci
Suetos vere novo: lubens, ELISÆ,
Sed *Flora*, ad *Thalamos*, vocata quâvis
Anni parte venit jocosa nympha.
Doctarum veniat cohors *sororum*
Sed docta priùs modos priores.

Has

Has tu lætus *Hymen* comes sequare,
Non vt conjugijs soles minoris
Plebis, queis satis est sequente nocte
Si præbere comes: minore tecto
Vix gaudere potes, palatio hospes
Dignus perpetuo; novos, recinctus,
Zonâ perpetuò liges amores.

EDVARDVS SPENCER *Baronis filius natu tertius, Art. Bacc. è C.C.C.*

Academiæ ad Optimum & Optatissimum Principem Fridericum, Alloquium.

ARmipotens Bellona *tubas*, Venus aurea *cygnos*,
Mars *acies*, Bacchus *vites*, Dictynna *Pharetras*,
Juno *decus*, vult *arua* Ceres, vult Iuppiter *aras*:
Ast Heliconiadum victricia signa sequentes
Ac Heliconiades cupiunt capiuntq; *libellos*:
Ergò *Puer* quem dia suo fovet *Vbere* Pallas,
Quem Phœbus genuit, *bellum* tibi jure *libellum*
Tradimus, an quicquam tali tibi munere majus?
Non priùs ergò *Tuas* fugiet *mea cura* medullas,
Nec priùs ergò *meas* fugiet *Tua cura* medullas,
Quam fugiet Bellona *tubas*, Venus aurea *cygnos*,
Mars *acies*, Bacchus *vites*, Dictynna *Pharetras*.

GEORG. SVMMASTER *Aulæ Lateportensis Principalis.*

OMnia vincit amor? fas isthoc dicere: nostros
Qui vincit luctus, omnia vincit amor.

Errat qui toto divisos orbe Britannos
Dicit; quæ Thamisis littora, Rhenus habet.

HENR. PORTMAN *Baronetus è Coll. Magd.*

IMperij fines (qnamvis Papa fulmina mittat)
Quam latè profers (REX JACOBE) Tuos?
Nempe; ſatellitio incaſſùm minitante Papali,
Hìc *Scoticæ* affixa eſt trina Corona Tuæ:
Imperium Oceano, famam qui terminat aſtris:
Non ſatis Auguſti hoc *Cæſaris* ad titulum?
Quin vltrà eſt? vltraq; ? tui *Germania* partem
Amplexura: tuis tota *Britanna* minor?

IO. WILKINSON *Aulæ Magd. Princip.*

COnnubio, FRIDERICE, pio jungaris ELISÆ;
Fœdere perpetuo juncta ſit *Illa Tibi.*
Pace, timore Dei, virturis, amoris honore
Vivite fœlices: *regna* beate *duo.*

PETRVS HVMFREY, *S.T.B. è Coll. Lincoln.*

SI fœlix vnquam fuit *Heidelberga beato*
Conjugio: fælix eſt (FREDERICE) Tuo.
Tu Sol; quo lumen geminum comprêndat in orbe,
Nacta eſt *hæc Lunam* Te duce *terra* novam;
Vt ſi quando cadat *Sol* (quod longè abſit) in vndas
Effundat lumen *Luna* coruſca ſuum.

R. LOVE, *S. Theolog. Bac. Magd.*

Im-

ECcè vices rerum; Redeunt poſt nubila ſoles,
Poſt gemitum locus, & poſt Tumulum Thalamus.

Pronuba *Iuno*; tamen rixari cum *Iove* gaudes;
Eſq; venuſta *Venus*, ſed *Dea* vana ſimùl;
Ite foràs: Aliæ hæc celebrent connubia *Divæ*:
Hùc *Muſæ* properent, *Euſebie*, *Charites*.

THO. LOFTVS, *Sacræ Theol. Bacc. Magd.*

IN *duperatorem lecturi*, ſplendida turba,
Credita dùm peragunt munia quiſq; ſuum:
Eſſe PALATINVS *Dapifer* perhibetur, & ille
Inter tot proceres non mediocris honor;
Tu benè curâſti munus (COMES inclyte) namq;
Menſa tuæ ſimiles non habet vlla *Dapes*.

THO. CAR. *Bac. S. Theolog. Æneinaſ. V. P.*

HVc ades (*Galilæe*) perſpicillo
Stuporem occiduo dature mundo;
Dum narras comites *Iovis* planetas,
Cœleſtis comites *Iovis* planetas:
Qui ſint vel duo, treſvè, quatuorvè;
Nec certos numero vides planetas.
Vox hæc fabula creditur poëtæ,
Nec tu veridicus voceris Author.
Vis veræ fieri Magiſter artis?
Huc vertas (*Galilæe*) perſpicillum,
Inſpectans Comites *Iovis Britanni*,
Nobis exoritur novus planeta,

Comes ſyderibus *Iovis* futurus:
Hi certi comites *Iovis Britanni*,
Pacemq́; *Angliacis* ſacram daturi
Motu, lumineq́;, influentiâq́;.
Hoc toti (*Galilæe*) pande mundo:
Vox hæc fabula non foret poëtæ;
Sed tu veridicus voceris Author.

T. OATES *Sacræ Theol. Bac. Coll. Magd. Socius.*

ADvola indutus croceos amictus
Nuptijs gratos *Hymenæe*: SPONSO
Phœbe digneris faciem benignam
Phœbeq́, SPONSÆ.
Vmbra ſit magni *Iovis* ala SPONSO:
Vmbra ſit magni *Iovis* ala SPONSÆ,
Per diem neù *Phœbe* feras gravamen,
Lunave noctu.
Regiâ quæ *ſtirpe* creata *Virgo*,
Læta ſis *radix* ſobolis beatæ,
Palmites Rheni ſuperes feraces
* *Pſa.* 128. 3 * *Vitis* abundans.
Palladi ſacram veluti novellæ
Cingerent ſtirpem: Tua ſic coronet
Nobilem menſam COMITIS *Palatî*
Alta propago.
Fratris occaſu graviùs relapſum
Gaudium, partu parili reponas:
Recrea *mœſtos* ſimili *nepote*
NATA *Parentes*.

In-

Induat mores animíq; robur
Masculum HENRICI, meliore fato,
Maximus natu, satur ante mortem
Dulcibus annis.

T. IACKSON *C. C. C. Socius. in Sac. Theol. Bacc.*

HAud secùs ac hyemem ver, vel nocturna diurna,
Lugubre festivum sequitur, lachrymásq; lepores.
Elizæ tumulum thalamus tumulavit ELIZÆ,
Atq; faces FREDERICE Tuæ tædas *Frederici*.
Sic Deus indulgens fractis commiscet amaris
Dulcia; sic nusquàm sera aut syncera querela.

SAM. RADECLIFFE *Bacc. in Sacr. Theol. Coll. Ænei-Nasi.*

Ουχ αἰεὶ ζόφος ἠερόεις, καὶ νυξ ἐρεβεννὴ,
Ουχ αἰεὶ ψυχρήτε χιὼν, κρυμόστε δυσαὴς,
Ουχ αἰεὶ ὀλοφυδνὸν ἄχος, καὶ κήδεα λυγρὰ.
Ὡς φίλον ἐστὶ φίλῳ γενετῆρι κατ' οὐρανὸν αἰπὺν
Ποικίλ' ἑοῖς χρήσασθ' ἐπὶ γῆς ἁγίοισι φίλοισι;
Αλλοτε μὲν κῆδος ῥ' ἐπιάλλει, ἄλλοτε γῆθος·
Ἄρχοντ' ὃς πάρος ἦρε, φίλον νῦν ἄλλον ἔδωκεν.
Σὸν, πατὲρ ὑψίμεδον, τίς ἂν ἐφήσειε τόδ' ἔργον;
Ὦ πάρος εἰπόμεθα πρὸς μνῆμ' υἱοῖο κατηφεῖς
Τῷ ἐπόμεσθα φιλῆς θυγατρὸς νῦν πρὸς γαμον ἡδεῖς.
Νυμφίον εὐλογέοι χριστὸς καλὸν, ἴσατε νύμφην.
Ἡμίθεος παράκοιτιν ἐπάξιον ἔυρατο ἥρως
Ῥίζα Παλατίνων, θάλος εὐγενὲς, ἄξιος ἥρως
Ὧν τοκέων λαμπρῶν, πασέων ἀρετῶν πέλ' ἔσοπτρον
Ἤγαγε τὴν θαλερὰν γαμετὴν, σέμνωμα δόμοιο
Σώφρονα καὶ πινυτὴν, εἴδειτε καὶ ἤθεσι σεμνὴν
Ἄνδρα γυναικὶ κλέος, τιμὴν αὖτ' ἀνδρὶ γυναῖκα
Ὄλβια πάντα γάμῳ δῴη σφῶν ἐνθάδ' Ἰησοῦς.
Τουντεῦθέντε, πόλων ἐς ἀμήρυτα χάρματα θείη.

GVLI. EDMONDSON *S. Theolog. Bacc. Reginensis.*

Nympha

NYmpha PALATINO *Rheni* quod nubat ELISA,
Ominor auſpicijs omnia læta pijs:
Nam *Germanus* erit verè *Germanicus* alter,
Gentis honor, generis ſplendor, & orbis amor:
Regia ſed *Virgo* reducem dabit *Eliſabetham*,
Nomine quamq; refert, omine clara feret.
Induperatores ex tantâ ſtirpe futuros
Auguror, *Auſtriacam* quot decorâre Domum:
Qui *Byzantinos*, (& qui tibi *Roma*) Tyrannos
Sub juſtum poterint mittere *Marte* jugum.

Chronogrammata.

1612 *Par InsIgne DVCVM te gratâ ſorte beare*
1612 *Annos oro DeVs ChrIſte per InnVMeros.*

IOH. GLANVILLE è *Coll. Bal. Sac. Theol. Bacc.*

VT vere tandèm terra recreatur novo,
Poſt acris hyemis frigora; ita *fracta* ANGLIA,
Dolore nimio fracta, quià florem ſuum
Severior *Hyems* carpſit, adventu novi
Veris reficitur; ſcilicèt vernum decus
Cum vere redijt, ſuccus & redijt novus
Novuſq; flos conſurgit, è thalamo ſuo
Dum *Sponſa* prodit juncta regali *Viro*;
Gaudete; non gaudere ſit magnum nefas;
Vultus ſerenos induere *Princeps* jubet,
Serena *Princeps*, *nomen* ELISÆ jubet
Fauſtum *Britannis* ſempèr, & lætum ſuis.

THEO. TVER *Ioannenſis Sacræ Theologiæ Bacc.*

Tu

TV tibi cum *Sponſam* caperes, FRIDERICE, pudicam,
Tu tibi cum Sponſum, dulcis ELISA, parem,
Non *Tituli Vobis* curæ, non *Indica Gaza*,
Sed *Cultus* pius, & non temerata *Fides*.
Et benè ſucceſſit, benè quod ſperâſtis vterq;,
Nam *Deus* eſt vobis vnus, & vna *Fides*:
Eſt & vtrinq; *ætas* eadem; par *regia forma*:
Stemmatis & clarus *ſplendor* vtrinq; nitet.
Ergo *Pares*, junctis, fœlicia fœdera, dextris,
Nectite, quæ ſanctus conciliavit *Amor*.

IO. ESTMOND, *Sac. Th. Bac. Nov. Coll. ſoc.*

IVſta neget ſterili cùm ver ſua tempora brumæ,
Et ſolito citiùs mollia prata virent:
Cúmq; ſuas ſic alma *Ceres* feſtinet ariſtas,
Tàm citò de gravido palmite gemma tumet:
Cur differs thalami conſortem ſumere RHENI
Inclyte DVX? clamant ſingula *Tolle moram*.
Cur differtur *Hymen*? hyemem fugit? en fugit illa
Et monet, vt tollas tu FREDERICE moram.
Sume parem tibi Regali de ſtemmate *gemmam*,
Sume, parem cui non gemmifer Indus habet.

Eliſam reducem nobis Tua ſpondet ELISA,
Henricum reducem: Tu FREDERICE dabis.

T. BLANCHARD, *in Art. Mag. Col. Bal. Soc.*

HErcyniæ Sylvæ nupſit Calydonia. Plangat
Ergò *Tagus*, *Rhodanus*, *Tyber*, *Anaſq;*, *Padus*.

Aſt *Iſis Thameſi*, *Thameſis* dic gaudia *Rheno*,
Rhenus Danubio, *Danubiúſq; mari*,
Et *Mare* quod littus, ſcopulos quoſcunq; flagellat,
Littoribus, ſcopulis, gaudia *hyméneq;* ſona.

ISA. SINGLETON. *Mag. Art. & Col. omn. anim.*

ECce PALATINO FRIDERICO chara JACOBI,
Qui regna vnivit *Britica*, ELISA datur.
Ite graves *luctus*, trepidæ vaneſcite *curæ*,
Jam lugere Deus, jam trepidare vetat.
Relligio, probitas, artes, concordia, leges,
Hoc firmata ſacro *fœdere*, tuta vigent.
Hæc, deus, æternâ benedic *connubia* prole,
Vt *Solyma* exultet libera, *Roma* cadat.

EDM. ATVVOOD *C.C.C. Art. Mag. Soc.*

QVi modò lugebant crines vmbrante cupreſſu,
Jam læti recinant redimiti tempora myrto.
Quæq; dies tulerat feralis tædia vitæ,
Nunc mutata feret *genialis* gaudia lecti.
Illuſtris charam ducit FREDERICVS ELIZAM,
O *Hymenæe* fave, *Venus* alma, & pronuba *Iuno*.
Jlla *Calydoniæ* nympha eſt celeberrima ſylvæ,
Arctoum ſydus, gentis *Cynoſura Britannæ*:
Aſt ille *Herciniæ* decus & laus vnica ſylvæ
Germanos iubar effulgens ſupereminet omnes:
Ille roſas flagrans, illa autèm cinnama ſpirans.
O *Hymenæe* fave, *Venus* alma, & pronuba *Iuno*.
Alter *Muſarum*, *Charitum* decus altera; & ambo

Na-

Naturæ illustres, fortunæ dotibus ambo,
Relligione pares, annis, atq; ignibus ambo,
Ite agite vt *Geryon* corpus coalescite in vnum,
Mens eadem licèt in diverso corpore spiret.
O *Hymenæe* fave, *Venus* alma, & pronuba *Iuno*.
Vxori *Pætus*, qualis fuit *Arria Pæto*,
Tyndaris Iliaco, *Veneri* dilectus *Adonis*,
Talis ELIZA tibi, talis FREDERICVS ELIZÆ.
Contingat Vobis concordia turturis, anni
Cornicum, ac eadem genialis gratia lecti.
O *Hymenæe* fave, *Venus* alma, & pronuba *Iuno*.
Vt plantam plantæ producunt, semina semen,
Vt generant aquilas aquilæ: sic *stemmate ab isto*
Nascetur regum series, cœlestis *Imago*,
Quæ totam *Europam* illustret, *Borealia* terræ
Climata, perq; omnes mundi latè imperet oras.
O *Hymenæe* fave, *Venus* alma, & pronuba *Iuno*.
Quamq; diù in *Rhenum* gelidas dat *Neccharus* vndas,
Thamisis inq; fretum lucentes voluit arenas,
Parvulus *Augustâ* ludat *Fredericus* in aulâ,
Heydelberga Tuos videat timeatq; nepotes.
Dij faxint; rata sint omnes pia vota precamur.
O *Hymenæe* fave, *Venus* alma, & pronuba *Iuno*.

RO. BVRTON *in Art. Mag. ex Æde Christ.*

Ad Principem Fredericum Sponsum.

FAllimur? an vivit, totus nec morte revulsus
HENRICVS, nobis dùm FRIDERICVS adest?
Dum FRIDERICVS adest, *Germanus*, noster; & ipse
HENRICVS noster parte superstes erit.

Ad Dominam Eliſabetham Sponſam.

Quàm ſimilis fueras Virgo viventis ELISÆ
Virgineæ: ſis par ELISABETHA pari.
Sponſa PALATINI cum ſis nunc *Principis* alma,
Sis matri, ſimilis mater, ELISA, tuæ.

De Annulo nuptiali.

Talis amor teneat, qualis vos *Annulus* vnit,
Non habet hic finem, vincula fine vacent.
Æternum vobis ſin nexum fata negabunt,
Circulus vt fiat *linea* veſtra precor.

ANT. RICHARDSON *Coll. Reg. Socius. in Art. Mag.*

Epithalamion.

Si quid vota valent mea,
Veſtris cõjugijs addere PRINCIPES,
Iſta hæc proſpera publicis
Lux deſiderijs impoſuit modum.

Sic eſt. Gratus adeſt dies
Quem vult alma *Venus*, *Iunoq́*, pronuba,
Cum tradet GENERO novo
Totum in FILIOLAM ius SOCER optimus.

I nunc, omine cum bono,
FREDERICE petas templa, dies abit,
Adventumq; petit Tuum
ELISA ætherijs cincta ſodalibus.

Et tu *Virgo* meridiem
Inclinare vides: è gremio veni
Matris: quid placidas moras
Nectis? quid refugis iura *Patris* Tui?

Hymen Optime cœlitum,
Hymen, qui cupidis charus amantibus;
Expectant juvenes tua,
Expectat *Venus*, vt tu peragas sacra.

Et vos, quos similis dies
Expectat, juvenes, quisq; *Talassio*
Cantet, vos quoq; virgines;
O *Hymen* faueas, & Venus aurea.

En vt vox populi sonat,
Sit CONIVX tenerâ prole puerpera,
Quæ vultus referens PATRIS,
Victrices Aquilas Imperij regat.

Vates è minimis ego
Hæc cantans *Isidori* ad vada comprecor,
Summus sanciat hæc *Deus*,
Qui primò instituit vincla iugalia.

EDM. GVNTER *ex Æde Christ. Art. Mag.*

Sæpe premente Deo, fert Deus alter opem.

HENRICVS, *Natus*, *Princeps*, & *Frater*, in vno,
Vnâ, dum moritur, deperiere, nece.
Natus IACOBO, *Princeps* nobis, Tibi *Frater*
CAROLE; sic *vnus*, vulnera trina dedit.

Aſt ſibi dùm teneram, FREDERICVS ſpondet ELISAM,
REX *Natum*, quem ſic NATA reduxit habet.
Redditus eſt nobis *Princeps*, tibi CAROLE *Frater*,
Sic redeunt vno commoda trina viro.

IO. STANDARD *Art. Mag. Exon*

ANglo-Rhemenſes ſint vobis triſtia fata;
Anglo-Rhenenſes feſta iocoſa parent.

RICH. HALL *Art. Mag. C. O. An.*

AVdax quid FREDERICE petis? Connubia vitat,
Pallet & ad nomen Nomen ELISA viri.
Macte at amore Comes; ſplendori nominis adde
Quod deerat; mater fac numeroſa ſiet.

Eâdem ſeptimanâ nupta Eliſa qua natus Henricus.

ANNA tibi HENRICVM quâ tempeſtate IACOBE
Enixa, hâc generum reddit ELISA tibi.
Exhilarat parili Te mœſtum quæ FREDERICO,
HENRICO parili ſecla futura beet.

VIN. GODDARD. *Art. Mag. è Coll. Mag.*

DEcrepiti thalamos Tithonia linque mariti,
Et gratum nobis profer ab axe diem.
Salve ſancta dies, thalami qui fœdere ſancto
Relligione pares iungis, amore pares.

NAT. GVLSON. *Art. Mag. è Coll. Trinit.*

Magna Britannia Germaniæ S.

AVdin' quid *Comiti* FREDERICO contigit, ex quo
A vobis noſtrum venit in hoſpitium?
Incertum quid fecit: at eſt conjectus in arcta
Vincula. ne timeas; vincula conjugij.

THOMAS BAYLEY *in Art. Mag. è Coll. Magd. Socius.*

QVos genus & virtus, quos ætas, menſis, & annus,
Et propè *natalis quos velit eſſe *pares*.
Nonnè tuo arbitrio celebrant *connubia* vates?
Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Natus Frid 16. Eliſab. 19. Auguſt. Anno 1596.

Ad Illuſtriſſimum FREDERICVM.

Eligis eximiam dùm ſic ſine compare, SPONSAM,
Quàm ſacri *Electòr* dignus es Imperij!

Ad Sereniſſimam ELISABETHAM.

HENRICI germana ſoror dùm vivis ELISA,
Illius in vultu vivet imago tuo.
Hunc thalamis repara FREDERICI: hinc parvulus aulâ
Ludat vt HENRICVS qui FREDERICVS erit.

De menſe Auguſto natalibus FREDERIC. *& ELISAB. claro.*

Auguſti auguſtus menſis, non nomine tantùm
Cæſareo: aſt multò *natis* auguſtior *Iſtis*.

THO. WILLIAMS *in Art Mag. ex Æde Chriſt.*

Vino

Vnio Germana.

FAtales junxisse *Rosas*, *Insignia* stirpis
Regalis, belli signaq;, grande fuit;
HENRICVS fecit: sed junxit *Regna* JACOBVS
HENRICO, maior, Rege, IACOBVS erit.
Quid prodest junxisse *Rosas*, nisi nostra IACOBVS
Subderet *Imperio*, sceptra *Britanna*, suo?
Magna loquor, dum *Regna* loquor: sed tempore nostro
(Dicere si fas est) *vnio* maior erit.
Regna, *Rosas*, *Thalamos*, animum sociavit & ipsum
Nobile Par: magna est *vnio*, magnus amor.

SIM. BIRCKBECKE *in Art. Mag. Coll. Reginæ.*

TAndem *Britannis* lætus affulsit dies:
Qui nos querelæ, luctuiq;, & funeri
Litare porrò non sinit; modum simul
Ponensq; lachrymis, neganscq; gaudijs.
Nunc est canendum, & libero tellus pede
Pulsanda: ferales cupressus excipit
Myrtus *Dione*s; funeris venit loco
Triumphus; & suas iam agit vices *Hymen*,
Qui (nube nostris frontibus quam obduxerat
Iniqua *Parcæ* dextera, & præcox manus,
In lachrymas solutâ, & imbres prodigos)
Frontem serenat vsq; Solibus novis,
Et nocte pulsâ candidos refert dies,
Iubétq; lætari juventutem *Anglicam*,
Cum flore *Belgico*, impeditam tempora

Myr.

Myrto, *Syríſq;* odoribus vnctam caput
Ovare ſeriò, & choreas ducere.
En *ſponſus* incedit novæ *Sponſæ* obviàm
Paſſu decorus; atq; in occurſus ſacros
Pompâ ſolenni pergit, optatis thalamis
Frui paratus: Cincta virginum choro
Pergit viciſſim *Sponſa*, inane Virginis
Quæ nomen auditura hac luce vltimùm
Crás & marita ſurget, atq; vxor placens
Mòx & maritum (ſi quid inſit ominis
Votis piorum, & efficaces ſpes ſient
Noſtræ (beabit prole multâ quæ *Patrem*,
Avumq; Regem, dotibus mentis bonæ,
Amore veri, candidiſq; moribus,
Factiſq; plenis laude ſoletur ſimul,
Et exprimat. Ne vota ſint minùs rata
Tu faxis *Hymen*. Proſpera atq; arce thoris
Deoſq; peſſimos, *Deáſq;* peſſimas.
Abſunto *Livor*, & malignus *Faſcinus*,
Curæq; edaces, & nefaſtum *Iurgium*,
Et *Clamor* importunus, & *Lis*, & memor
Ira, vltimíq; ſuſpicax *Zelus* mali,
Et ſæva *Erynnis* nuptijs iſtis procùl;
Omníſq; turba inauſpicata *Numinum*,
Solennis impeditiones gaudij.
Hìc blanda *Cypris*, *Cypridiſq; filius*,
(Sed caſta *Cypris*, & pudicus *filius*)
Exerceant artes ſuas, & par novum
Reciprocis ardere faciant ignibus,
Vivacibúſq; ardere faciant ignibus,
(Sed ignibus caſtis, pudicíſq; ignibus)
Hùc tuta *Pax*, & *Riſus*, & licens *Iocus*,

Nymphæq́, molles, & ſolutis *Gratiæ*
Zonis, & ædium gerens curam *Deus*,
Et quicquid eſt lubentioris *Numinis*,
Adſint; amorúmq; vniverſas explicent
Copias; triumphis debitis ornent *diem*;
Lucíſq; præſentis perennent gaudia.

ROB. SANDERSON è *Coll. Lincol. in Art. Mag.*

ELISÆ & COMITÎ, regali copulæ amantûm,
Dic mihi *Muſa* precor, quæ ſatis apta precer?
Sic ego, ſic *Erato*; Votis hoc omnibus vnum
Poſce, ait, vt *Princeps* pullulet inde *novus*.
Sint precor! (ô Dî ſint!) hæc *vincla*, adamantina vincla:
Túq; *Anglæ Violæ* ſis FREDERICE *Roſa*.

FR. GIBBONS *Art. Mag. ex Æde Chriſti.*

OLìm ſpes *Anglis Fridericus* & *Eliſabetha*,
Eſt *cælebs* fato functus vterq; ſuo.
Scilicèt vt *Rheni* FRIDERICVS & ELISABETHA
Augerent famam *nominis* inde ſui.
Vtq: *Comes* ſibi dum FRIDERICVS iungit ELISAM;
Et paritèr gaudent hâc vir, & illa viro,
Tu FRIDERICE dares *Friderico*, Tu *Eliſabethæ*
Reginæ pareres ELISABETHA pares.

IO. HOLT *Art. Mag.* è *C. C. C.*

LVmina, cæleſti quæ fixit *Iupiter* arce,
Lumine juncta ſimul languidiore nitent.
Inferiora, ornat quorum præſentia terras,
Lumine juncta ſimul ſplendidiore micant.
Lumen ELISA Tuum per lumen CONIVGIS auctum,
Palma triumphantis relligionis erit.
Tyndaridæ Gemini nautis fælicia ſigna,
Et vitæ comites ſunto, viæq; duces.

TH. SVTTON *Art. Mag. Coll. Reg. Soc.*

Ad Angliam.

ANGLIA te nuper mæſtam nox atra tegebat
Et tibi pro potu, non niſi fletus erat.
Nunc inducta nova eſt facies, & tota triumphas:
Non niſi lætitiæ pocula plena bibis.
De cælo ergò venit tanta ad *Sponſalia Chriſtus*,
Et triſtes *Bacchi* in *munera* vertit *aquas*.

TH. DOWNER *Art. Mag. Ioan.*

CAndida ſi ſæclis vixiſſet ELISA peractis,
Non *Helenam*, optâſſet diripuiſſe, *Paris*.
Didoni notus ſi Tu (FREDERICE) fuiſſes,
Vix tanti *Æneas*, *Troiáq;* tota foret.
Nam *Rheni* COMITI concedit *Troicus Heros*,
Atq; *Helenam* multò vincit ELISA magis:
Quàm benè coniuncti; magnus pietate Maritus,
Nec premitur magno conjuge Nupta minor.

M. BOWNES *Art. Mag. Coll. Reg. Soc.*

SI rata Pythagoræ vatis sint dogmata; & istis
Vlla quidem à nobis sit tribuenda fides.
Credo animam quòd habes Reginæ vt nomen ELISÆ,
Sic in te virtus illius ampla viget.
Hoc precor vt tua sit talis fortuna perennis,
Par vita, & cœlum det tibi serò mori.

Spiritus *Augusti* in Sponso renovatur; & illum
Qui videt, *Augustum* cernere nemo neget.
Offeret illi vltrò stellatam *Roma* coronam,
Hoc solùm differt, ille Marone caret.

R. COLLIER *Art. Mag. Coll Exon. Soc.*

ECquis ait *Toto divisos orbe Britannos*?
Non æquor tanti, totaq; terra fuit.
Jungimur invitoq; mari, invitisq; tyrannis
Et *Thamisi Rhenus* suggerit udus aquas.
Junge *Rosas* HENRICE duas, duo *regna* JACOBE;
Divisum atqui *orbem* jungere, VIRGO, Tuum est.

HEN. HALSWELL *in Art. Mag. Coll. O. A. Soc.*

SI qua fides atavis, ea vis *Pantarbis*, vt ad se
Vndiq; quæ summè sunt pretiosa trahat.
Mira canunt dices, at vix credenda, minora
Sed virtute canunt ELISABETHA Tuâ.
Quâ gemma attracta est tam splendida, tamq; remota,
An non virtutis vis ea mira magis?

G. A.

Ad Illustrissimum Comitem Palatinum Archi-electorem.

E *Lector* verè *sumnius* FRIDERICE vocaris,
Electa in socios cum sit ELIZA toros.
Non orbis similem tulit huic: *Electio* pulchra est,
Cum dubites nympham duxeris, annè Deam.

Junxit ELISA *Rosas* HENRICO nupta marito,
Discordesq; diù junxit *vtrasq; Domos.*
Fœdere *Germanos* conjungis ELIZA *Britannis*
Te sponsam princeps dum FREDERICVS habet.
ELIZA *Elizam* superas sic inclyta princeps,
Vt superant pulchras maxima *Regna Rosas.*
Credo priùs junxit qui dissita *Regna* JACOBVS
Dissitá TE docuit jungere *Regna* Pater.
Fortunatus *Hymen* Tua qui sponsalia curat,
Quam digna es magno regia *Virgo* Patre!

IOH. LLOYD *in Art. Mag. ex Æde Christi.*

Erricus ad Fredericum.

D Ùm FREDERICVS eras, erã & ipse *Erricus*; ab ortu
Dimidium velles nominis esse mei.
Cùm Tibi junxisti laterali fœdere ELISAM:
Dimidium velles sanguinis esse mei.
Nomen vbi Crescens sit sanguis; sanguinis hujus
Magnum incrementum de *Iove, Cæsar*, habes.

SAM. GERMAN *in Art. Mag. è Coll. Magd.*

DImidijs junctis vt surgant integra rerum
Constans & falli nescius ordo jubet.
Est Fatis igitur FREDERICO jungere ELISAM
Visum, & semideo tradere semideam.

HERB. IOHNES *in Art. Mag. ex Aula Cervina.*

QVæ mare, quæ tellus sectuir, sociantur eodem
In thalamo, inq; vno corpora bina toro.
Augustus pulchrā duxit FREDERICVS ELISAM:
Binaq; sic vnum corpora corpus erunt.
Aut duo si fuerint, anima est tamen vna duobus
Corporibus: velle vnum contigit, vnus amor.
Venit in autumno FREDERICVS, hybernat; ab Anglis
Vere *Rosam Angliæ* pignus amoris habet.

ROB. WHITEHALL *in Art. Mag. ex Æde Christi.*

CVm *Thetis* & *Peleus* vinclo coiere jugali
Duxerunt Salios *Dijq; Deæq;* choros:
Juncta PALATINO comiti sociatur ELISA,
Jam placeat numeros (*Phœbe*) movere tuos.
Latonæ partu *Delos* stat firmior: ô si
Hæc *Delos* staret semine fixa Tuo.
Priamide Helenam duxit, *Paris* alter ELISAM,
Lux erat hic patriæ, fax erat ille suæ.
Eumenides istis præerant; *Par nobile*, Vestris
Præsit *Amor*, *Cypris*, Pronuba *Iuno*, Toris.

Im-

Imperij *Dapifer* portas opsonia *Regi*;
Nunc *dapibus* mensas instrue quæso Tuas.
Digna illis non sunt *Hymenæis* fercula nostra,
Sed cum delicijs hæc juvet esca Tuis.

IO. WALL *Ædis Christi.*

VT duo, sint vnum, quid fecit? an *vnio* cordis?
Est cordi nobis *vnio*: gemma fuit?
Vnio gemma fuit, si qua est inserta coronæ
Quæ digitos ornat, non onerátq; caput.
Ecce *Dei* digitus digitis hanc indit E L I S Æ,
Vniat vt nobis *Pectora, Regna, Rosas.*

DAN. INGAL *in Art. Mag. è Coll. Reg.*

TOrrida cur radijs vsſit solaribus æstas
Gramina? vi *Martis* prædominantis erat.
Cur nimias pluvias hyemalia tempora mittunt?
Sola, regens pluvias, fulsit in orbe, *Venus.*
Sit modò ver placidum pluvijs, modò fronte serenâ;
Est quoniam *Marti* juncta benigna *Venus.*

IO. LANGHORNE *in Art. Mag. è Coll. Reg.*

TRistia funereas gemuêre poemata tædas,
Læta tuas celebrant nunc *Erycina* faces.
Sic sibi succedunt paritèr dolor, atq; voluptas,
Fraudetur vicibus sed dolor, opto, suis.

Rheno se *Thamisis* miscet, duo dissita regna
Jam coeunt, fœlix vnio, castus amor.

Quàm

Quàm benè gemma nitens pretioso innectitur auro,
ELISABETHA suo tam benè juncta viro.

IOS. AISGILL C.C.C. Art. Mag.

Anagram.

COMES PALATINVS PRINCEPS GERMANIÆ PIVS.
Rupis Serpentem (scio) vinces Anglia Papam.

G.C.L.F.

In Præcedentem Anagrammatismum,
HEROICA.

PApa quid? ignivomus *Serpens. Iesuita* quid? *Hydra.*
Rupes quæ? *Tarpeia. Draco* quis? *Schoppius* ater,
Schoppius horrendos qui tollit ad æthera bombos,
Chara *Papæ* soboles, magnum *Satanæ* instrumentum.
Huic comes *Eudæmon*; sed Princeps Dæmoniorum
Fòrs videt hunc, visúmq; cupit, potitúrq; cupito.
At vos magnanimi terrestria numina *Reges*,
Eia agite & tantas terris avertite [a] Pestes,
Sternite fulmineis tumidum [b] Pythona sagittis.
Arma viri, ferte arma viri, juvenésq; senésq;;
Ferte *Angli* ferrum tela huc date, scandite muros.
Rumpe moras REX MAGNE. quid? an moriemur inulti?
Flammantes clypeos & tela minantia cerno:
Quid loquar? intonuit lævum. *Germania* victrix
Vltrò sese offert: fælices jungite dextras
Fælices populi; connectite fœdera nodo
Herculeo; & *Romam* jam debellate superbam.
Omnipotens genitor, precibus si flecteris vllis,
Aspice nos clemens; tandemq; hæc omina firma.

[a] *Nulla est bestia pestilentior, quâ quæ ex cucullo prospicit, dixit vir quidam magnus.*

[b] *Paulum 5.*

Αυτοσχεδιαζεν F. I. MARTIN, *vtr. Acad. Mag.*
C.F.G.L.F

Illu-

ILluceſce dies, dies Britannis
Germaniſq; ferens perenne fœdus,
Signandum niveo diem lapillo,
Denigret nihil ominis ſiniſtri;
Planctus, funera, litiúmq; clamor
Importunus ad hoſtium faceſſant
Sponſas: ſed neq; Muſa barbariſmum
In verſu ſinat eſſe nuptiali.

FREDERICVS ecce muneris quod eſt ſui
Et nunc facit; qui gentibus
Latè imperent, in nobili ſponſa eligit;
In qua parentis hujus, &
Hujus relucet ſtemma, Martis, & togæ
Præſtans potenſq; laudibus,
In cujus ore frater HENRICVS viget
Fratríſq; virtus maſcula,
Per floridum quâ virginis licet decus;
(Parva ominantem hìc quis ferat?)
Hæc ſervitútis Turcicæ infami jugo
Qui Chriſtianos liberent,
Et jã diu inquinata, (proh pudor) Deo
Sua templa qui expient, dabit.

Tempora mutavêre vices, & ſydera leges,
Vt fierent vobis officioſa ſuas.
Vt flores, aviumq; choros Hymenæus haberet,
Ver, quod debuerat bruma fuiſſe, fuit.

ROB. PINCKE *Medicinæ Bac. Nov. Coll. Socius.*

ITe, agite, ô *dulces animæ*: fœlicibus astris,
Et duplicis voto gentis, inite toros:
Nil magè germanum, vel tu *Germania* nobis
Acceptumvè refers, accipimusvè datum:
Vber *Principibus* vestra est, & mascula tellus;
Huic nostræ ergò Virum reddere sola potest.
Anglia fœmineo, fœlix & splendida, sexu;
Cæsareo dignam, te dat ELIZA, proco.
Relligio, imperium, soboles, vno omnia partu,
Crescite nunc, quantum *Papa* perire cupit.

IOH. BROWNE *in Art. Mag. ex Æde Christ.*

CArmina quis *Gallo*? quis *Galli* dicet amores?
Quis leget hos, memorat qui FREDERICE Tuos?
Quos si cognôsset, potuisset *Gallus* amoris
Ipse sui, & *Galli* vix memor esse *Maro*.
Nam quicunq; Tuos leget, hic redamabit amores,
Primus amor, princeps cum sit ELISA Tuus.

HEN. WATKINS *in Art. Mag. ex Æde Christi.*

ET studium atq; habitus prælustri sanguine natum
Arguit, & *Comitem* cui sit ELISA comes.
Ergò *Britannorum* celeberrima turba triumphat,
Et salit adventu nostra *Camæna* tuo.

THO. HOVELL *in Art. Mag. Nov. Coll. Socius.*

QVas sponsæ in thalamos tędas accendit ELISÆ
Festus *Hymen*, ridens *Principis* ad tumulum,

Extor-

Extortas *Libitina* tulit: Nunc ritè peracto
Funere, ad inceptum *Dive* recurris opus,
Sacrum iterùm geniale parans; felicius opto.
Tuq; PALATINO Nympha *Britanna* Viro
Alite non lævo sociabere, purior vnit
Pectora Relligio quêis meliorq; fides;
Eia viro te redde, tuî jus omne resigna,
Redde Genîtrici lætitiamq; Patri.
Quid cessas paranymphe, agedùm quid Nympha moraris
Par tenerum, optatos tendere sub thalamos?
Cinxia cum casta vocat invitatq; *Dione*,
Jungat *Hymen* quorum pectora vinxit Amor.
Sat mutis pictisq; datum; nunc pascite ocellos
Nunc animos vivis pascite imaginibus.
Sic agitè, Heroum terris diffundite semen,
Quod Reges populis sufficiatq; Duces.

Dana-Scot-Angla-Teutonis; Genîtrice
Patre, patriaq;, conjuge & perillustris,
ANNA, *IACOBO*, & Insula hacce, *Rhenig.*
Decore FREDRICO; natu ELISA nuptuq;
Ita auspicato, te sequestre cognatas
Perennivivax, jungat has amor gentes.

Fortunate virûm, cui Nympha *Britannis* ELISA
Se dat in optati vincula conjugij.
Purpureis vidi sic nuptas vitibus vlmos
Sic tenero amplexu Myrtum hedera ambit amans.
Sic Adamas fulvi circundatus orbe metalli
Lucet & articulis plurima gemma tuis.
Nec precium, preciosa licet, sibi gemma vel aurum,
Tu precium gemmis, auro, & ELISA tibi.

EDO. MICHELBORNE *ex Aul. Glo.*

FAmæ si-qua fides *Phœnix* connubia spernit
Non optat comitem, fœdera nulla colit.
Famæ nulla fides. PALATINO nubit ELISA;
Illa optat Comitem, fœdera justa colit.

Ὥστε γάμον κεράσωμεν ἀείδοντες γ' ὑμεναίους
Νυμφιδίους, μὴ κλαύσωμεν στενοέσσαν ἀοιδὴν
Κἂν πολὺ δακνόμενοι δ' ὑπὸ τῶν θρήνων τε τάφων τε.
Νύμφη ἔστω ἱλαρὴ, πένθεσθ' γέρας ἐστὶ θανόντων.

RO. LODINGTON *Ænei-Nas. in Art. Mag. Socius.*

PAllidæ mortis reprimantur arma,
Lugeant nulli sua fata mœsta,
Cuncta sed lęthi monumenta cedant
Nunc *Hymenæo.*

Nobiles regni *proceréſq;* pullas
Exuant vestes, gemitusq; ponant,
Temporis nostri, recolant futura
Fata serena.

Sponte nunc ducant agiles chorêas,
Gaudeant rectè celebrare festa,
Grata *Britannis* thalamo jugali
ELISABETHÆ.

CAR. CROOKE *in Art. Mag. ex Æde Christ.*

ESse quid hoc dicam, quòd tam citò singula vernent?
Quòd novus arboribus decor adsit, gloria sylvis?
Prataq; tam mirè propero vestita colore,
Et quasi visceribus terræ iam viva recusent.

Am-

Ampliùs abſcondi, ſed luxuriantia certent
Surgere, & in plenas accreſcere gramina ſpicas?
Sponte ſuâ faciunt, nullóq; docente Magiſtro
Numina veſtra colũt, veſtros celebrãtq; *Hymenæos*,
O *Thamesis* REGINA, tuiq; ô *gloria* RHENI.
Fallor? an hæc faciunt redivivas gaudia *Muſas*?
Gaudia quæ cœlum ſentit, mare, flumina, campi,
Vel debacchantes agitent, velut *Orgia*, vates.
Cernere iam videor *Muſas* duxiſſe chorêas,
Et pede liberiùs terram pulſaſſe *Catonem*!
Nunc *Heraclitus* denſos quàm ſponte Cachinnos
Tolleret, & læti cantaret geſta diei!
Tam par conjugium ſeu mores, ſeu magis annos,
Reſpicis, haud fecit caſus, *Deus* intùs agebat.
Fortunate GENER, cui totus militat æther;
Non Tibi, cum peteres dulces *Leander* amores,
Intumuit pelagus, ſed quæ tibi juſſit amores
Orta mari, placidum fecit mare, fauſta petenti
Aſtra dedit, dabit hæc repetenti fauſta carinæ,
Non erit infeſtus nautis nimboſus *Orion*,
Sed patriâ incolumem ponet *Venus* alma potitum,
Tœdia longa maris Tua dùm Tibi leniet *Hero*.
Quæq; es divini, ſoboles numeroſa, parentis,
Ex te ſublimes mentes, æternaq; ſurgat
Poſteritas, nunquam Tibi ſint hâc luce minora
Gaudia, ſed tali vultu, vel ſi *Venus* ipſa
Eniteat meliore, nite patriæq; viroq;.

TH. ILES, *ex Æde Chr.*

ELISABETHA de ſe.

Dilectam *patriam* linquo, dulcéſq; *Parentes*,
Fratremq; Aſcanium, qui mihi ſolus adeſt,

Et *Thamisin Rheno* muto; credo, via longa est:
Sed, quam non pigeat carpere, sancta via est.
Iustis numen adest cæptis: procùl este profani,
Patria si nova sit, non nova religio est.

Ludite nunc hilares, pullam deponite vestem
Musæ: pro tristi funere venit Hymen.
Desierint tandem nubes stillare doloris
Participes nostri, bruma caputq; tegit.
Ad nos jamq; redit Phœbus; maris vnda recepit
Intrà se ripas quas modò transierat.
Jam Cytherea choros ducit Chariteſq; triumphant,
Flebilibus vestris sit modus ergo modis.

Ad Famam.

O quæ peruolitas triplicis confinia mundi,
Et notum, totus quid gerit orbis, habes,
Felices tædas FREDERICI, & gaudia nostra
Ad Turcas, Indos, Æthiopasq, feras.
Audiat & cantet gens fœdere juncta *Britannis*,
Sed si qua infesta est, audiat & stupeat.
Ad *Rhenum* pertingat Jo nostrum, & pia vota
Cœlestis tecti limina juncta petant.

R. RANDS *è Coll. Trin. in Art. Mag.*

INgrediens hortum *Fredericus*, magna revolvit,
Deq; acquirendâ conjuge multa movet.
Cum fortè in somnum lapso *Venus* astitit, atq;
Inquit, in his nuptam quærere siste locis.

Lin-

Linque Tuas ſedes,& regna *Britannica* quære,
O Princeps:illinc Nupta petenda Tibi eſt.
Nupta petenda tibi eſt IACOBI filia Regis;
Quæ nempe eſt Thalamis ſola dicata Tuis.
Succeſſum ne deſperes,ego mater amoris:
Æquora ne timeas;cum *Venus* orta mari.
Vnda viam,*Virgo* facilem præbebit amorem.
Dixit;& eventum præſtitit iſta dies.

EDVARDVS BOVGHEN *in Art. Mag. ex Æde Chriſti.*

QVò ruis ô juvenis?quæ tanta fiducia ponti?
Quævè tibi *Herculeum Iuno* coegit opus?
Heu nequeunt flammas latices extinguere *Rheni*;
Expetiturq; tuis ignibus *Oceanus*.
Sic *Tethyn* ardebat *Peleus*,ſic illa per vndas
Luſit & emerſit,ſic *Venus orta mari eſt*.
Sic quibus indixit durus divortia pontus,
Fortior æquoreis fluctibus vnit amor.

Multas *Vna* rates patrijs avulſit ab oris
Hæc quam prætulerit,vel *Venus* ipſa ſibi.
Roma olim obſtupuit dubiæ cum *Claudia* famæ
Virgineâ *Idæam* duceret arte ratem.
Quâ nunc invidiâ ſacros miratur amores,
Hæc dum virgineâ viderit acta manu?
Et ſi *cæcus* amor tantis non excidit auſis,
Quid non audebit nunc *oculatus* amor?

GVLIEL. COVCHMAN *in Art. Mag. Ædis Chri.*

De

EPITHALAMIA.

DE INSIGNIBVS PRINCIPIS *Aureo Leone in Nigro Campo.*

QVam benè conveniunt cum rebus signa? *Leonem*
Auratum Campo dispositisse *Nigro?*
Ille niger campus mœstorum est terra *Britannûm*,
Tu(RHENI PRINCEPS) Aureus iste Leo.
Vtq; leo vivas, vincas; si forma *Leonis*
Displicet *aurati*, hanc exue, & esto *Aquila*.

SAM. SMITH *Art. Mag. è Coll. Magd.*

VIrginitate frui cur vellet ELISA perenni
Et soror & princeps fida(IACOBE) Tibi?
Quòd susceptа Tuo de corpore mascula proles
Ante obitum fuerat nata & ELISA suum.
Virginitate frui Tua filia ELISA(IACOBE)
Cur non vult? citò cur nubere ELISA cupit?
Altera ELISA tuâ tibi vivat, vivat, vt aulâ,
Alter & HENRICVS, nubere ELISA cupit.

TH. BROWNE *Art. Mag. è Coll. Trin.*

RHenus in *Angliacum* cur semper fluxerit æquor?
Venturi Domini præscius Amnis eras?
Olim prora tuas sulcavit *Cæsaris* vndas,
Iuncturi *Latiæ* sceptra Britanna *Lupæ*:
Nunc per te venit, non *Cæsar*, *Cæsare* maior,
Ille fuit *Cæsar* factus, at *Iste* facit:
Salve supremi celebrande Vicarie cœli,
Regia qui celsi das vice sceptra Dei:
Nec Tibi(*Summe Ducum*) debet gratarier vni,
Sed Sponsæ, & thalamis nostra *Thalia* tuis

Fœlix

Felix Quam facies Tu primus *Virgo* maritam,
Quæq; Tibi *felix* prima dat esse virum:
Felices Ambos prolis felicior ortus,
Det Deus & Sobolis spes numerosa beet:
Anglicus accrescat *Germano* palmes in agro,
Et plaudat duplici Terra *Sicambra* patri:
Nec *Germana*, quòd est *Gallis* germana, sed Anglis,
Dicatur soboles postera *Rhene* tua.

Nec vota nostra deêrunt,
Nec thus, thalassiouè
Solennibus paratis:
Tibi decus *Sicambrûm*,
Flos, spes, honos *Sicambrûm*
Illustris inter omnes
Germaniæ dynastas;
Tibiq; *Virginellæ*,
Iubar *Britannicarum*,
Venus *Britannicarum*,
Tenuis *Camæna* metro
Tenui, hoc vovebit vnum:
Vt copula hæc iugalis
Tàm fausta, tàmq; felix
Vobis sit in futurum;
Quàm nuptijs dicato
Solis *Anacreonti*:

FREDERICVS ELISABETH.

ACCEP. FREWEN *Art. Mag. & Coll. Magd.*

FElicem felix imitetur ELISA *Lacænam*
Filia quæ Regis, mater, & vxor erat

Plin. lib. 7. cap. 41.

Et quoniàm parvum eſt imitari, vincat eandem
Nobilis ac fiat Regis, ELISA, ſoror.

I. HVLL *Magd. in art. Mag.*

ET iuvat, & liceat, prœcellentiſſime *Princeps*,
In tam communi ludere lætitiâ;
Splendida ſunt, fateor, tibi nomina, ſed tamen iſta
En ex coniugio ſplendidiora Tuo;
Eligis, vt nemo meliùs; ſic *Principis* ingens
Eſt *Electoris* gloria parta Tibi;
Duxiſti, & meliùs quis tandem ducere poſſet?
Hinc fama eximij conſpicienda *Ducis*;
Sumpta tibi comes eſt, meliorem ſumere nemo
Poſſet, & es ſummè nobilis inde *Comes*;
Conjugio creſcat cumulus cum tantus honoris,
Conjugibus cumulus quantus amoris erit?

Scande triumphales, Princeps celeberrime, currus,
Tuq; Tuiq; ſimùl dulce decus thalami.
Poſtulat egregij quæ maxima pompa triumphi,
Hæc quoq; coniugium cuncta ſequuta Tuum.
Adſunt magnanimi primâ tibi fronte *Leones*,
Pulchriùs vnde queat Clara *Quadriga* trahi.
Adſunt & *flores*, ſuaviſſima gratia *Florum*,
Fiat honoratis vnde Corona comis:
Et tibi ne iuſtæ deſint prœconia laudis,
En *Lyra*, quæ varijs perſonet icta modis.
Scande triumphales, Princeps celeberrime, currus
Tuq;, tuíq; ſimul dulce decus thalami.

RICH. ADDAMS *in Art. Mag. Novi Coll. Soc.*

Vni;

VNicus eſt *Phœnix*; ſic nos docuere parentes.
Vnus an vna ſiet multùm dubitatur ab illis.
Vnus, & vna ſimul nobis, FRIDERICVS, ELISA.
Vnus & vna, duo; fallor ſunt vnus & idem,
Nam Deus hos iunxit; ſcelus eſt ſeiungere iunctos.

Æſtatem *Virgo*, *Piſces* hyememq; requirunt?
Falleris aſtrorum cultor, non *Piſcibus* eſt ſol.
Noluit en *Piſces* hæc per ieiunia *Phœbus*:
Quod meliùs, pulchrâ iunctus cùm *Virgine* pulcher.

AD. AIR. *Art. Mag. Coll. Reg.*

MIgrate hinc lacrymæ, dolor, furorq;
Et quicquid nitidis obeſt ocellis:
Luctus jam teneros ſatis, ſupérq;
Turbârunt animos: levate curas,
Et nigram ſubitò quot eſtis omnes
Veſtem ponite, quotquot eſtis omnes.

Adeſte ô veneres, ſales, lepores,
Et quicquid lepidos jocos movebit.
ELISAM celebris Comes maritat:
Cui gens non ſimilem Britanna vidit.
Iſtis det ſobolem Deus perennem,
Et nunquam viduo jacere lecto.

RO. HITCHCOCK *Art. Mag.*
è Coll. Mag.

EPITHALAMIVM ÆNIGMATICVM.

ÆNIG. 1. DIc mihi, si possis, quæ res nos reddit amantes,
Et festinantes, & tamen illa MORA est?
ÆNIG. 2. Dic mihi, quas fruges nos exoptamus habere, &
Quò minùs eveniant impedit ipsus AMOR?
ÆNIG. 3. Dic mihi, quæ, patriam patrio linquebat amore
Nata, patris iussu & deseret ipsa Patrem?
ÆNIG. 4. Dic mihi, quis vivvm priùs occisumq; videbat
Fratrem dilectum, quàm sibi frater erat?
ÆNIG. 5. Dic mihi, quis nodus, qui non priùs esse solutus
Possit, quàm duo sint corda soluta nece?
ÆNIG. 6. Dic, quæ litterulæ quarum hæc crucis, illa canina est,
Frendebunt thalamis *Elisabetha* tuis?
ÆNIG. 7. Dic mihi, quæ terra est, è quâ sol exijt, altrâ
E terrâ vt lunam duceret ille suam?
ÆNIG. 8. Deniq; dic, ex quâ, primo speramus in anno
Quo seritur, fruges, arbore; *Phœbus eris*.

Anag. {FREDERICVS ELISABETA.
E Fletu CAESAR ridebis.}

Tu qui nobiscùm dignatus es advena flere,
Nunc risus veros, advena *CÆSAR* habe.
Dulcia quisquis habere velit, gustabit amara:
Passus amara, dein dulcia *CÆSAR* habe.

THEOPH. GALE *in art. Mag. Exon. Coll. Soc.*

Sic.

SIccine? num toto BRITONES scinduntur ab orbe?
* *Occasum Virgo* junxit *Elisa* suis.
SPONSA suis *Ortum* thalamo sociavit ELISA, * *Virginiam*
Nata patri firmans vincula, nexa priùs.
Relligio quà non dirimit, conjungimur *Austro*,
Amplexus nostros nec fugit ipse *Polus*.
Fallor si BRITONES vsquàm scindantur ab orbe,
Nusquàm si fuerit scissus ab orbe Deus.

G. BEN. *Mag. Art. Coll. Reg. Soc.*

Votum Nuptiale.

QVid dicunt minimâ contentos nocte *Britannos*?
Longa dies, sit nox longior ipsa tibi.
Sic serò croceum linquas aurora cubile:
Et Sponso tardum *Phosphore* redde diem.

EDM. FETIPLACE *in Art. Mag. Coll. Reg.*

Dialogus.
Interloquutores, Britanni, Germani.

B. GErmani salvete. *G.* Et vos salvete *Britanni*.
B. Fœdera jungamus. *G.* *Fœdera* vestra placent.
Principibus verò nostris, quas ducere possint,
JACOBO natas haud superesse liquet.
Nam quæ sola fuit, FRIDERICO nupsit ELISA:
Non est quâ jungi *fœdera* nostra queant.
B. At Papale jugum excutiant: sic fœdera jungi,
Quæ thalamo nequeunt, relligione queunt.

D. WILTON *in Art. Mag. è Coll. Magd.*

E *Lector* reliquis omnibus altior,
Romani Dapifer maximus *Imperî*,
Gnatam præcipuam PRINCIPIS *Angliæ*
Ter fœlix, ſtabili connubio capit.
Hic illam proprijs vincit amoribus,
Hæc illum paribus diligit oſculis.
Vt firmo premitur palmite populus:
Amplexu tenero vivite conjuges.
Tam junctis animis nectite fœdera:
Quàm florens hederâ ſtringitur æſculus.
Et vox per populos, per mare tranſeat,
Lateq; æthereis axibus inſonet:
Elector *Latij* maximus *Imperî*,
Formoſam E LISABETH contrahit *Angliæ*.

Miraris *Rheni* longis cur venit ab oris
Elector, *Britonum* ducat vt ELISABETH?
Deſine: forma *Deos* cœlo deduxit ab alto,
Datq; homini pennas; penna volare facit.

IOH. DROPE *in Art. Mag. è Coll. Magd. Socius.*

Ode Nuptialis.

R *Egum* ſacratas dic age nuptias
Feſtiva lætis *Calliope* modis
Et feſſa jam tandèm, dolori
Pone modũ, miſeriſq; curis.
O nate Princeps ſanguine Regio,
(Quem *Iõvæ*, rebus mitior *Anglicis*,
Summiſit, vt triſtes levaret
Principis exequias perempti:)

Fœlix

Fœlix *Britannam* prêndito virginem:
Multis petitam: sed facibus tuis
Cœlo reservátam benigno,
Non aliâ magè digne flammâ.
Vincit puellas virgineus decor,
Quæcunq; ripas vel *Thamesis* colunt;
Vel frigidi vineta *Rheni*
Cœtibus assiduis frequentant.
Sponsi juventæ *Dij* quoq; cesserint;
Et ille, vatum qui *tripodas* movet;
Et ille, qui *Tigres* coercet,
Pampineâ metuendus hastâ.
Gaudete longùm fœdere mutuo,
Quos non cõactis junxit amoribus
Mens vna, fax vna, atq; in vnum
Sponte suâ coëvns voluntas.
Absint inanes intereà *Metus*,
Rixæq; turpes, & *Querimoniæ*,
Zelúsq;, & incestus *Cupido*,
Jura thori violans pudici.
Absit jugales *Tisiphone* novos
Inauspicato funere polluens:
Nec vlla ferali sinistrum
Voce, precor, sonet ales omen.
Ferax vt vlmo vitis amabili
Conjuncta, pressos vbere palmites
Fructu, laborantemq; truncum
Purpureis onerat racemis:
Sic, sic ELISÆ fiat amor tibi,
Germane Princeps: sic tibi filios
Et filiorum filios, &
Innumeros pariat nepotes.

Ἐλίσαν ἡ λύρη μοι,
Καὶ φρηδερῖκον ᾄδε.
Κλέος ἐς Ἐλίσα κουρῶν,
Νέων δὲ Φρηδερῖκος.
Τὰ πρῶτα Φρηδερῖκον
Ὡς εἶδεν ἡ Σελήνη
Ὑπερωΐοις ἐν οἴκοις
Μεσονύκτιον σταθέντα,
Ἐμαίνετ' ἐκφιλῆσαι,
Κἠπεῖχεν ἅρμα καλὸν,
Μακρὰς δ' ἔθηκε νύκτας.
Νῦν δ' ὡς Ἐλίσαν εἶδεν
Ὁ φοῖβος ἐξ Ὀλύμπου
Ἐνι Τέμπεσιν θαλείοις
Μεσημβρινὸν πατεῦσαν,
Τὴν δ' ἤθελεν φιλῆσαι,
Κἠπεῖχεν ἅρμα λαμπρὸν,
Μακρὸν δ' ἔθηκεν ἦμαρ.
Ὦ φωσφόρος θέαινα,
Μὴ ζηλόωσα κλέψον,
Τὸν ἄνδρα τῆς Ἐλίσας.
Ὦ Φοῖβε χρυσοχαῖτα,
Μὴ ζηλόων σὺ κλέψον
Γυναῖκα Φρηδερίκου·
Μούνη δὲ κ' αἰὲν ἔσω,
Ἐλίσα Φρηδερίκου
Αὐτῆς δὲ Φρηδερῖκος.

IOH. HARRIS *in Art. Mag. è Coll. Novi Socius.*

Elizabetha Regina & Henricus Princeps rediviui.

Quos modò gẽs *Britonum* lachrymãs deflevit ademptos:
Hos iterùm in vivis esse tuetur ovans:
Vivit enim, vivo FREDERICO, *Henricus*; ELISA
Spirante, illustris nescit *Elisa* mori.

A-

Amor Coniugalis.

Mens habet vna duos, amor vnus, & vna voluntas:
Sic duo subsistunt corpora, at vnus homo.

IOH. CONANT *in Art. Mag. è Coll. Exon. Soc.*

LVx melior FREDERICE Tibi, seu fulsit ELISÆ,
Cum data connubio vos junxit dextera dextræ?
Ornabit sceptro Sponsam FREDERICVS ELISAM,
Ornabit pulchrâ FREDERICVM prole Parentem
ELISABETHA. Magis dos splendida, nescio, quæ sit:
Conjuge erit fœlix, fœlix erit illa Marito.

TO. READING *ex Aula Magd. Art. Mag.*

MOribus en mores, ætati jungitur ætas,
Virgine vir dignus, dignáq; Virgo viro.

T. BISHOP *in Art. Magis è Coll. Trinit.*

NOn nisi divino *Germanus* præside Princeps
Ingreditur thalamos, Nympha *Britanna*, Tuos
Sic tantùm Oceano fœdus feriente, maritant
Distantes alibi *Rhenus* & *Isis* aquas.

IOH. HOSKINS *LL. Bacc. Novi Coll. Soc.*

VT decorent vestros, Par ô regale, triumphos,
Par regale quod est, Gratia trina venit.
Scilicèt vt gemino sit par in amore gemellum,
Qnælibet vna trium bis numeranda venit.

RIC. IONES *LL. Bac. Novi Coll. Soc.*

IN cœlo, & terris, fœlicia fœdera pangunt
Conjugij, HENRICVS frater, ELISA soror.
Jlle illîc *Christo* capiti vincitur, & illam
Hîc Christi membrum ducit, amatq; Comes.
Sic caput è cœlo sua pulchra hæc membra gubernet
Vt sit solus eis Dux, via, vita, salus.

NIC. TOOKER *in Art. Mag. Coll. Exon.*

Ad Fredericum Comitem Palatinum.

DOtes si peteres ratas amoris,
Jam Natura dedit quod expetebas;
Exhausitq; suas opes benigna
Vt solvat tibi postulata dona.
Largitur tibi divites ocellos
Qui gemmis rutilant, micant Pyropis;
Et collum, digitos, manus, genasq;
Queîs nil floret in Indiâ secundum:
Qui pro dote tenes, beatus, omnes
Orbis divitias opesq; cœli.

Nec Lachrymarum imbres, *Rhenúsve* extinxit amores?
O quanta est *Princeps* pectore flamma tuo?

Quid nunc fœmineo tam rara in pectore virtus?
Virtutum decorat te (*Dea*) tota cohors.

GVLI. LEWIS *in Art. Mag. Coll. Oriell. Socius.*

Si

SI fas sit decimam vocare *Musam*
Et ritus celebrare nuptiales,
Prodite centum, singulæ
Prodite *Musæ*, versibus
Vt gestiam,
Vt concinam,
IO Hymen, Hymen, Hymenæe Hymen.
Ohe *Calliope* melos secundis
Tu sponsis modulare conjugale,
Da præstò nobis dicere;
Fœlice vivant fœdere:
Sic prædices,
Sic clamites,
IO Hymen, Hymen, Hymenæe Hymen.

G. COTTINGTON *in Art. Mag. Coll. & Magd. Soc.*

ANgliam ab orbe, *Anglisq.* orbem, *Papa, Oceanúsq;*
Certant, hic animis dividere, alter aquis.
Major vtroq; *Deus* junxit. Nam *Rhenus*, & *Isis*
In mare concurrunt, & *Venus* orta mari est.
Hinc tota exultans *Hymenæis* læta triumphis
Terra salit, plaudunt flumina, & astra micant.
Solus *Papa* furens sponsalia sacra prophanat,
Blasphemóq; truces spirat ab ore minas.
Sacrilege vsq; fremas, rident impunè *Britanni*.
Fœdera vis rumpi? flumina vertere retrò.

S. WILSON *Æneid. Nas. in Art. Mag.*

EPITHALAMIA.

Inter Triumphos aulicos & Academicos de nuptijs Comitis Palat. & Eliz. Facta comparatio.

MAgnificè celebrare diem FREDERICE jugalem
Non opis est nostrę; præstet id Aula tibi.
Et dignis ornet connubia tanta choreis,
Talibus auspicijs vt benedicat *Hymen*.
Intereà Musis *Academica* Turba benignis
Præstabit thalamis carmina læta Tuis.
Dum (quod honoratis aliquot facit Aula diebus)
Conjugium æternâ consecret arte tibi.

Divisi à toto quamvis sint orbe *Britanni*
Est FREDERICE Tuo juncta BRITANNA *Globo*.

GVLI. BATTISHIL *in Art. Mag. Coll. Exon. Socius.*

INduerat nigras, mæreus *Academia* vestes,
Illud enim HENRICI jure monebat amor.
Exuit has: ritus dùm tu FREDERICE jugales
Suscipis: illud amor suadet ELISA Tuus.
O quàm te reducem cuperent HENRICE Britanni,
Vt fieret in nostris nulla querela iocis?

De nuptijs Comitis Palat. & Elis.
Ἐρώτησις ἐρωτικὴ.

Cur COMES ex alijs solam sibi junxit ELISAM?
Cur COMITEM solùm duxit ELISA, petis?
Scilicet ista viro nulli fuit aptior vxor,
Nec COMES hic alij debuit esse comes.
Par forma vtriq; est, maiorum gloria paresi,
Par in honore gradus, par in amore fides.

Læto

Læta ponas *Terpſichore* dolorem,
Nuptias ritu celebrans decoro,
Cœlitum quas PAR pepigit beatum
Numine fauſto.
O dies multis memorande ſæclis,
Qui tibi ponit FREDERICE finem,
Totius quem ſuſtulerat laboris
Ardor ELISÆ.
Ampliùs non eſt vt eam preceris,
Amplius non eſt vt eam proceris,
Quin habes illam tibi colligatam
Compede gratâ.
Interìm divûm ſoboles ELISA,
(Charior tanto quia dicta ELISA,)
Seriò gaude potiundo tali
Principe Princeps.
Virginum nomen, numerumq; ſperne,
Nomen effætum, ſterile, & moroſum,
Vxor hinc dici cupias ſacrato
Iuncta marito.

Votum FREDERICO dicatum.

Dum recolo *Heroas* quos ſors vxoria fauſtos
Reddidit, in mentem SEX ſubiêre meam.
Corneliæ virtus *Pompeio* ceſſit; ob illam
Vila eſt fortunæ mollior eſſe manus.
Gloria *Sulpitiæ* te tangit *Lentule*; fælix
Amphion Niobes fertilitate fuit.
Portia commendat fortem (pia fœmina) *Brutum*;
Mirus amor *Pyrrhæ Deucaliona* beat.
Vivit adhùc poſt fata virens tuus, (*Arrhia*,) *Petus*,
(*Arrhia* quâ ſpecie nemo fidêue prior.)

Has omnes FREDERICE tibi pius opto sub vnâ,
Pandoram è cunctis hisce Deâbus habe.
Corneliam superet, cedat *Sulpitia* ELISÆ;
Arria sit, *Niobe*, *Portia*, *Pyrrha* Tibi.

Τετράστιχον γάμικον.

Εἶπε Πλάτων τίκτειν πενίαν καὶ πῶρον ἐρῶτα,
Ἀλλὰ κακῶς, ψευδὴς τοῦτο μὲν εἶπε Πλάτων.
Ἐν σοῖς γὰρ ΦΡΕΔΕΡΕΙΚΕ γάμοις ἄρχουσιν ἐν ἴσῳ
Πλοῦτος καὶ ἱλαρῶν χάρματα πάντα βροτῶν.

MAT. STILE *in Art. Incep. Coll. Exon. Socius.*

COnnubij lex vna, duos conjunxit, & vnus,
Hos, fidei junxit relligiosus amor.
Scilicet, hujus erat, castas conjungere mentes
Transactis votis, jungat vt illa, manus.
Vincula, connubium, licet hæc fœlicia, narrat,
Quæ, mala non cogunt lucra, sed æquus amor.
Principis æquus amor trajecit littora fati;
Anglia sola tamen, quam cupit ille, dedit.
Cynthiam & illa dedit, (DVX invictissime) talem
Non dedit Argivis Dardana præda viris.

THO. WORALL *in Art. Incept. Coll. Ænei-Nasi Socius.*

Thyrsis, Melibæus.

CVr capite obstipo *Melibæe*, & lumina fixus
In terram similis meditanti incedis, & inter
Raras, crebra tamê spargis suspiria, voces?

Me-

Melibæus.

Quid facerem? num luctus inopportunus haberi
Myrtillo extincto poterit, quo clarius vnquam
Nil vidit cœlo qui despicit omnia Phœbus.

Thyrsis.

Ergonè perpetuo juvat indulgere dolori?
Dematur nobis vt *Panis* filius; ipse
Pan supereſt, qui curat oves oviumq; magiſtros.
Et ſupereſt multum de ſe qui ſpondet *Amyntas*,
Atq; ambita procis pleno jam nubilis ævo
Quæ dulci prenſa eſt *Amaryllis* *Alexeos* igne.

Melibæus.

Dignus & ille fuit quem ſic *Amaryllis* amaret,
Sic & amans nec non digna eſt *Amaryllis* amari.
Nobile par! æquè queis interconvenit, albis
Ac benè conveniunt ſociales vitibus vlmi.

Thyrsis.

Pelle igitur luctus, *Amaryllida* ducet *Alexis*,
Salve optata diù, meliórq; revertere ſemper
Læta dies, albo nobis ſignanda lapillo.
Hymen, ô Hyminæe Hymen, ades ô Hymenæe,
Sæpe repercuſſum reſonent q, Thalaſſio ſylvæ.

Melibæus.

quę nova mî facies rerum, atq; inopina reſurgunt
Gaudia? quę mentẽ exhilarat, reficitq; voluptas?
Aſpicis vt cœlum ridet, frontemq; ſerenat
Nubibus obductum modò quẽ contraxerat; ecce
Vt redeant rurſus deformi gramina campo,
Terraq; ſe viridi jam ſponte veſtiat herbâ.
Hymen &c.
Sæpe repercuſſ. &c.

Thyr-

Thyrsis.

Non arbor quâ non revireſcet in arbore ramus,
Non ramus quo non reſidebit avicula ramo,
Non avis erectas non mulcens cantibus aures,
Non cantus qui non nomen reſonabit amoris.
Arbor, ramus, avis, cantuſq; per omnia, junctim
Convenient, celebrare huius ſolenne diei.
Hymen, &c.
Sæpè repercuſſ. &c.

Melibæus.

Miteſcunt Zephyri, & fundo qui ſævijt imo
Iam placido ſtratus ſubſidit murmure pontus,
Halcyonq; ſuos ſtruxit propè littora nidos,
Quiq; olim averſus noſtris ſol ceſſit ab oris,
Paulatim huc flectit, propiùſq; reviſere geſtit,
Accipio auſpicia hæc atq; ominor omnia læta,
Hymen &c.
Sæpè repercuſſ. &c.

Thyrſis.

Fige domi lauros, & paſſim ſtrata viarum
Sparge roſis, quanquam quid opus diſpergere? quicquid
Hic pede, vel quicquid calcaverit hæc, roſa fiet.
Hymen &c.
Sæpè repercuſſ. &c.

Melibæus.

Non his *Tiſiphone* thalamis, aut triſtis *Erynnis*,
Nec caput horriſonis torquata *Megæra* colubris
Interſint. *Veneri* aſſiſtens ſed pronuba *Iuno*,
Et cytharam *Phœbus* qui pectine pulſet eburno
Mars ducat choreas, *Charites* Muſæq; ſequantur.
Hymen &c.
Sæpè repercuſſ. &c.

Thyr-

Thyrsis.

Tuq; novæ Nuptæ fer opem *Lucina* roganti;
Quando erit illa dies quâ te *Lucina rogabit*?
namq; erit, hoc prędixit ovis jam enixa gemellos.
Accipio auspicia hæc atq; ominor omnia læta
Hymen &c.
Sæpè repercuss. &c

Melibæus.

Nympha olim imposuit quæ Nuptæ *Amaryllida* nomen
(Non tulit hæc ætas cui, nec feret vlla secundam)
Casta diù in terris vixit grandævaq; Virgo.
Illa sui iuris, mansit sine crimine cœlebs,
Quod Tibi non liceat sine crimine, non tua tota
Est tua virginitas, sed magnâ ex parte parentum,
Quæ Genero sua iura simul cum dote dederunt,
Hunc foveas pulchræ facias prolisq; parentem
Hymen &c.
Sæpè repercuss. &c.

Thyrsis.

Nomine conveniunt *Myrtillus* *Alexis* in vno,
Nam qui *Myrtillus* simul est & dictus *Alexis*,
Præproperum excipias *Myrtilli* & flebile fatum,
Et nullo quod se iactaret prole patentem,
His quàm dissimiles, ad cætera sunto gemelli.
Hymen &c:
Sæpè repercuss. &c.

Melibæus.

Hæc ceciniſſe, satis pro tempore; sparsus in agris
Grex errat, præceps & sol inclinat, eundum est;
Carmina tum meliùs, cum venerit ipse, canemus.

IOH. HEATH *in Art. Incept. Nov. Coll. Soc.*

Hâc fœlix magè nil, nihil hâc optatius horâ,
Quæ (FREDERICE) tibi ſponſalis lumina tædæ
Pandat anhelatæ, intemeratáq; gaudia ELISÆ.
Ocyùs ergò *Hymenæe* faces incende iugales,
Plebs, procereſq; choros agite, & ſponſalia vota
Dicite, mox populo ſacra ad penetralia cleri
Spondete hæc eadem à ſuperis, & *Epiſcope* ſumme,
Spei fideiq; ratæ ſerto redimitus ad aram
Adſis, hoc genij regalis germen *Eliſam*
Iunge PALATINO *Rheni, Romæ* vt quatiendus
Ille *Palatinus* mons concidat, & iuga celſa
Viſceribus terræ condat, ſi non, voret Orcus.

IO. BALCANQVELL *Art. Mag. Coll. Exon. Soc.*

Princeps Fredericus ad Eliſam de die Nuptiali dictâ Eſto Mihi.

TE monet ipſa dies, vt ſis Mihi, dulcis ELISA,
Ipſa *dies* de Te dicitur *Eſto mihi.*

Reſp. Elizæ.

Sum Tibi, Tuq; Mihi vice verſâ, chare Marite,
Et de Te, & de Me dicitur *Eſto mihi.*

Cur petis vxorem Princeps tràns æquor ELISAM?
An quòd ELISA Tibi eſt tràns mare digna peti?
Tràns mare cur ducit Te vir peregrinus, ELISA?
An quòd te dignus ducere nemo domi eſt?
Ducere te dignus ſolus, qui ducit, ELISA,
Cui nubis, ſola es nubere digna viro.

THO. GRENT *in Art. Incept. Nov. Coll. Soc.*

Quic-

QVicquid amor sperare potest in *virgine*, VIRGO
Hęc benè nupta tibi nunc FREDERICE dabit.
Si modò *nobilitas* placeat Tibi, *nobilis* Illa est,
Augebitq; tuum nobilitate genus.
Si *formosa* placet, satis Hæc *formosa videtur*,
Est quoq; *docta* satis, si tibi *docta* placet.
Iucundam quæris? satis est *iucunda*: *modestam*
Si cupias, est hæc virgo *modesta* satis.
Deniq; quicquid amas, illud Tibi fiet amanti
Conveniens votis *Elisabetha* Tuis.

TH. WOOD *in Art. Incept. Nov. Coll. Soc.*

ELector primus jure es FREDERICE putandus,
Arbitrium subeat fœmina masvè Tuum.
Electus Cæsar specimen fuit hujus, at illud
Lecta, docet lecto, Regia virgo, Tuo.
Si similis fuerit concessa electio clero
Clamaret (ductâ conjuge) Roma vale.

HEN. CAREY *Equit. Aur. fil. nat. max. è Coll. Exon.*

Anagrammata.

{ELISABETA STEVARTA.
{*Beata Elis' vt Astræa.*

QVa ratione suos dum deserit, esse *Beata*
Astrææ in morem dulcis ELISA potest?
Sydus erat nobis, sed tali juncta Marito
Nunc apud externos incipit esse Dea.

{FRÆDERICVS COMES PALATINVS RENI
{*Iræ lentus Re fidus* CESAR *in Campo.*

Si qua fides titulo (Comes Inclyte) *Lentus* vt *Iræ* es,
Re Fidus, *Campo* sic quoq; *Cesar* eris.

THO. CAREY *Equit. Aur. F. è Coll. Exon.*

NOnnè data est nostræ FREDERICO *Gemma* Coronæ,
Qui se cum clypeo datq; deditq; suo?
Ingens *Martis* opus! nam nec te, *Turcica* proles,
Papa pater, nec te, cur metuamus erit.

IOH. SEDLEY *Baroneti fil. in Art. Bacc. è Coll. Magd.*

FEsta & fausta dies; quæ mutat tristia lætis,
Funera Conjugijs, & Tumulos Thalamis.

Funus, *Elisa*, Tuum, tædis relevatur ELISÆ:
Et FREDERICO alio mors, *Frederice*, tua.

FITZ-GVLIELMVS CONINGSBY *Equitis filius Natu Maximus è Coll. Lincoln.*

IN penitùs toto divisis orbe *Britannis*
Quæ causa est fueris quòd (FREDERICE) procus?
An quia fœmina in orbe bona est nulla, vxor ab Anglis
Extra orbem bona, Te digna petenda fuit?
Nunc est cur nolis Dapifer *Iovis* esse; Deorum
Cæsar tam lautas non habet ipse *Dapes*.

Apstrophe, ad Annulum.

Annule perpetui qui signum & pignus amoris
Articulos arcto conjugis orbe premis.
Ante vetustatis damnoso dente terare,
Quàm non sit concors, quem modò jungis, amor.

THO. LAKE *Armiger Art. Bac. ex Aula Cervina.*

Nunc

NVnc tandèm, FREDERICE, Tui fit juris, ELISA,
Et FREDERICVS fit juris, ELISA, Tui.
Hùc veſtram *Charites*, *Venereſq;* advertite curam,
Hic vt inextincto fomite alatur amor.
Verba ſales ſapiant, ſtellas imitentur ocelli,
Labra roſas, facies lilia miſta roſis.

ARTHV. LAKE *Equit. Aur. filius Bacc. Art.*

RElligione pares, vitâ, virtutibus, annis,
Omnibus: ænigma eſt hic ſit, an illa prior.
Dicite Io Pæan mare, montes, flumina, valles:
Tergemini feriant æthera, & aſtra ſoni.

RIC. SEYMOR *è Coll. Exon. Baronetti filius.*

ANglia langueſcis nimiùm, tandem lacrymarum
Deſine. Nunc cytharam plectro pulſa, & pede terram;
Ferto faces. Juvenis Pellæus duxit ELISAM
Ortam *Phœnicis* redivivo è pulvere *Eliſæ*.

VIV. MOLINEVX *Ænei-Naſ. in Art. Bacc. Equit. Aurat. & Baronetti filius.*

TRàns fer omine proſpero
Limen jam Thalami pedes:
Ecce fulgidus accubat
Vir Tuus Tyrio in Toro;
Jo Hymen Hyminæe Jo,

Surgite ô Iuvenes, faces
Flammeas citò tollite,
Ite, concinite ordine,
Jo Hymen Hymināe Jo.

NICH. SAVNDERSON *Baronetti filius* Reg. *Coll.*

QVæ casu vnius tumulantur spes FREDERICI,
Alterius surgunt ortu: cœlestis ELISA
Stella est, qua fulget nobis spes altera: gaude
Anglia, quòd surgit pereunti *Castore Pollux*.

THO. SMITH *Ænei-Nas. in Art. Bacc. & Equit. aurat. fil.*

SIs *Dapifer* fœlix (COMES inclyte) namq; tulisti
Regalem nunc, quam tot petiere, *dapem*.

THO. CHALONERVS *Equit. filius è Coll. Exon.*

MVsica cum cantu celebrat connubia festo,
Gaudia conjugijs hæc cumulare solet.
Non humilis Thalamis *cytharœdus* convenit Jstis,
Qui canat in Vestros, dignus *Apollo*, Toros.

IOH. SEDLEY *C. C. C. Equit. Aur. fil. nat. Max.*

Ad Fredericum Electorem & Archidapiferum S. R. I.

ELegit (bona sors) dilectam Elector ELISAM,
Mortalem elegit, sed dubito annè Deam.
REX, *Regum Domini* inservis licèt, ipse, palato,
Eligis hasce dapes Tu tibi, non *Domino*.

RICH. BRAWNE *Ænei-Nas. Equit. aurat. filius Nat. Max.*

In

IN nobis quid possit *Hymen Libitinaq;* tristis,
Viribus ostendit nupèr vterq; suis.
HENRICVM hæc rapuit: FREDERICVM reddidit ille:
Intulit hęc damnum triste, quod ille levat.
O si vincat *Hymen*! si sit reparabile damnum!
Par regale illi est: sat scio, vincet *Hymen*.

IOH. MARKHAM *Equit. aur. filius nat. max. ex Aul. Cervinâ.*

HÆc est illa dies lætis signanda Calendis,
Exoptata diù, quò magè grata, venit.
Ingredere ô *Princeps* thalamos FREDERICE *Britannos*:
Pax & sanctus honos prosperet hosce Toros.

ROB. EDOLPH *Equit. filius nat. max. C.C.C.*

Ad Com. Palat. de ædibus quibus receptus est quùm Londinum appelleret.

HÙc domus appulsum te primò Essexia cepit,
Primitùs illa tui testis amoris erat;
Ast *Iacobæis* tandem fis ædibus hospes,
Crede nec augurio pondus & omen abest:
Postquàm JACOBI data sit tibi filia; *Tectis*
Nunc JACOBÆIS jure subesse potes.

ROB. OXENBREGGE, *Equit. fil. nat. max. Exon. Coll.*

COnnubio duxit stabili FREDERICVS ELIZAM.
Hæc vivat Patriæ Mater, & ille Pater.

OL. CAVE *Equit. aurat. fil. Ædis Christi.*

Nym-

NYmpha ter fœlix, ſociata tanto
Conjugi, triſtes hilaras penates,
Tollis immenſos animos *Britannis*
Dulcis ELISA.
Cæſaris dignam thalamo, decoram
Virginem ducit FREDERICVS heros,
Hoſte prognatam valido *Papiſmi*
Rege *Britanno*.
Sponſa dùm tædas celebrat jugales,
Angitur curis rabioſa *Roma*,
Machinam luget ſcelere, & nefando
Pulvere ſtructam.
Ringitur, ſpumat *meretrix* cruenta;
Percita eſt diris furijs: *Britanni*
Gaudijs veſtris procùl hoc profanum
Pellite monſtrum.
Invidis maior ſpecioſa VIRGO,
Cernito lætis choreis canentem
Eccl ſiam Anglicanam **Virginem caſtam*, juga quæ *Papiſmi*
Vinclaq; rupit.
Hæc ſuis caſtis operata ſacris,
Gaudet, & pro te pia vota fundit,
Percinit laudes, veluti ſacrato
Carminis œſtro.
Creſcat ô creſcat generoſa proles
Regis, & multos videat penates,
Floreat pulchræ ſoboles ELISÆ
Palmitis inſtar.

IOH. COVPER *Equit. fil. Coll. Lincoln.*

QVid mihi cum Muſis? potiùs ducenda choréa;
Hæc placet, & placidis hæc magis apta jocis.

ANT. HASELWOOD, *Armiger.*

Quæ

QVæ duo regna, Tuo coalescunt fœdere, & amnes;
Quos mare non potuit, jungere ELISA Tuum est.
Flumina quod coeunt, & dissita regna stupemus?
Te celebrant Nympham flumina, regna Deam.

FRANC. KNIGHTLY *Bac. Art. Coll. Oriel.*

QVem genus, & genius paritèr virtutis & artis
Nobilitant, verè nobilis ille vir est:
Et nos, & nostram decoret tua gloria Musam;
Nec nos, nec *Musæ* te decorare queunt.

GR. ISHAM *Equit. F. è Coll. Trinit.*

FRugiferas iactare solent regna extera vites,
Tuq; vuas jactas, *Rhene* opulente, tuas.
Nósne sumus steriles? & noster continet orbis
In se vicinas nil quod adæquet opes?
Immò quod exuperat; FREDERICO teste, petantur
Vina alibì, hic verùm Nectar & Ambrosia.

TH. BENET, *C. O. A. Art. Bac.*

NOn caneret vates *Melius nil cælibe vitâ*,
Nôsset tam sacrum si modò conjugium.

NIC. HALSWELL *Equit. Aur. F.*

COr vnum, vna fides, mens vna sit & thorus vnus,
Velle duobus idem, nolle duobus idem.
Finiat vna dies vitámq; vtriusq; fidemq;:
Plurima sed soboles sit, licèt vnus amor.

AVG. CÆSAR, *Equit. Fil. ex D. Edm. Aul.*

ANGLIA, quin sistis lachrymas? tibi nempè dat herbas
Ver præsens, facilè quæ tua damna levent.
Simplex herba parùm prodest, coniungitur ergò
Herba herbæ, & morbo fit medicina tuo.
Iungitur ELISÆ FREDERICVS: *Gratiæ* vt *Herba*
Vxor, sic *Sponsus Flos* tibi *Lucis* erit.

TH. CESAR *Equit. Fil. ex Aul. D. Edm.*

PRima micans *Phœbe* terras lustravit *Elisa*,
Quam raptam ad cœlos ducere *Phœbus* aver;
Et ducit: cœlis dumq; hi celebrantur amores,
Ecce alius terris concelebratur amor.
Eccè novus *Phœbus*, *Phœbi* nova *Cynthia* consors,
VIRGO datur Thalamis, Dux FREDERICE Tuis.
Iuppiter est sponsus, sponsa est dea *Iuno*, mariti
Mars comes, & *Charites*, pronuba pulchra *Venus*.
Laus *Hymenæe* tua est, magno qui numine magnas,
Clariùs vt niteant, iungis amore faces.
Et longùm hæc niteant, clarum, æternúmq; datura
Lumina *Germanis*, *Angligenisq;* diem.

GVL. STANHOP *Equit. Aur. fil. Bal. Coll.*

QValis in *Ionio* (si vera est fama) profundo
Amplexus *Arethusa* tuos *Alphæus* advsq;
Sicanium oppositâ scrutatur ab *Elide* littus:
Talis ab vndosi vicino gurgite RHENI
Interfusa (COMES præcelse) per æquora tendis
Ad TAMISIM, & quos hic TAMISIS tibi servat amores.
Vivite fœlices *par nobile*: dumq; refuso
Flumen vtrumq; suum ditabit *Nerea* fluctu;

Vos

Vos quoq; concordi tædarum fœdere juncti
Defecto æternam sobolem superaddite mundo;
Vt videant hostes, intabescantq; videndo.

IOH. CESAR *Equit. Fil. è Coll. Magd.*

Ad Fredericum Sponsum

CVm nostris aberas terris, excanduit æstas:
In ver Bruma novum, te veniente, subit.
Sit tibi perpetuum vel ver, vel messis amoris;
Non vnquam lædat gaudia, tristis hyems.

G. MVSGRAVE *Equit. fil. nat. max. Coll. Reg.*

SI quis erit fœlix in coniuge, quis magis Illo
Cui Regis prima est Filia juncta toro?
Moribus & forma est cunctis prælata puellis,
Ingenium formæ par habet Illa suæ.
Ergò tuo FREDERICE toro fœliciter vxor
Adsit & hanc solam, vt solus ameris, ama.

R IONES *Equit. fil. ex Aul. Cervinâ.*

COniugium celebrare Tuum mea *Musa* libenter
Quærit, lætitiâ sed stupet illa suâ.
O ter felicem, quater (ô FREDERICE) beatum,
Cui Princeps talis, qualis ELIZA, datur!
O ter felicem! quater (ELISABETHA) beatam,
Conjunctus Princeps cui *Fredericus* erit!

H. RAINSFORD *Armiger.*

ANglia cur doleas *Frederico* Principe rapto?
Ecce novus Princeps hìc FREDERICVS adest.
Hos simul vna duos Iuvenes *Europa* ferebat,
Hos simùl vna duos non tulit illa viros.

FR. RAINSFORD *Equit. fil.*

Orba suo æternùm careat ne gens *Frederico*,
Frater fratre, soror *Principe*, prole parens.
Tu FREDERICE redis, gensq; hæc fruitur *Frederico*,
Frater fratre, soror conjuge, prole parens.

GVL. MARBVRY *Ænei-Nas. in Art. Bac. & Armig. fil. nat. max.*

VBi pares decore,
Probitate, castitate
Pares, Pares tenellis
Annis, Sibiq; solis
Pares honore; queis sunt
Prænominum vel ipsa
Elementa, literæq;
Ipsæ pares, amore
Pari torum iugalem
Parant, quis haud putabit
Hoc *Par iugum* futurum?
Et est; diuq; perster;
Vt surgat indè proles,
Cui nulla terra, nulla
Gens sit *Parem* datura.

I. HAMPDEN *armiger, è Coll. Magd.*

ANglis nuper erat Diva *Eliſabetha*, rogamus
Vt nunc Germanis non ſit ELISA minor.

I. BOLNEY, *Coll. Exon.*

In Auſpicatiſſimas Elizabethæ & Principis Palatini Nuptias.

EPITHALAMIVM.

INdulſit *Britonum* triſtitiæ ſatis
Expirans pietas: & cineri ſatis
Functi funereo PRINCIPIS obtulit:
Cantus *Melpomene* deſine lugubres,
Et Sertis religans tempora myrteis,
Lesboum incipias tendere barbiton.

Tuq; *Erato* virides capiti ſubnecte corymbos,
Naſcentemq; diem molli celebrato choreâ.
Placatus revocet Geniales *Iuppiter* annos,
Cymmeriaſq; fuget renovatâ luce tenebras
Phoſphorus: Ecce novis redierunt tempora luſtris,
Tempora Erythræis meritò ſignanda lapillis.
Planctus anheli curaq; pervicax
Tandem faceſſant: non premat inſolens
Dolor triumphos; nec jugales
Impediat *Libitina* tædas.
Sed *Iuno* caſtis quæ thalamis præeſt,
Et Nuptiarum *Pronuba*, Cyprias
Nectat corollas; & pudicos
Mitis *Hymen* reſocillet ignes.

Huc ergò ô *Veneres Cupidineſq́*,
(Sed caſtæ *Veneres Cupidineſq́*.)
Vos quæ *Callirhoen* & *Hippocrenen*
Parnaſſiq́ biceps jugum tenetis,
Adeſte, & properè; ſolumq́; lætis
Dilaſſate choris Jô canentes.
Ferte huc gaudia mille deindè centum,
Dein mille altera, dein ſecunda centum.
Donec lætitiæ repullulantes
Excedant numeros, vt irretorto
Tybris amne fluens, *Paduſq́* RHENO
Vnicam THAMISIN dolere poſſint:
Gaditanus vt hoſtis, *Italuſq́*,
Vt *Romæ* ſtatus invidere pergat,
Cum tantum ſciat eſſe gaudiorum.

Ad Illuſtriſſimum Carolum Principem.

Parve nec invideas dîæ nova fata Sorori,
Nec thalami culpes poſthuma fata tui.
Nam tua res agitur, paries dùm proximus ardet:
Teq́; petet laqueis mox *Erycina* ſuis.

Ad Princ. Pal. cum coniuge clariſſ. reverſurum.

Sic vos Diva potens *Cypri*,
Regni vos Gemini lucida ſydera!
Et venti pater *Æolus*
Securis revehat per freta claſſibus:
Vt te *Belgia*, gratulans
PRINCEPS (quem timidè RHENVS inhoſpitis
Commiſit pelagi vadis)
Curvoq́; excipiat littore ſoſpitem
Vitæ *Dimidiam* tuæ.

Non

Non imbres gravidis nubibus hiſpidi
Laſſam concutiant ratem.
Nec præceps *Lybici* flaminis impetus;
Nec voluat mare turgidum
Luctans cæruleis fluctibus *Africus*.
Non guttis pluvialibus
Stillantes *Hyades*: non *Helenæ coma*:
Aut ſuſpectus *Orionis*
Vultus: nec gelido climate decidens
Arctos incutiat metum.
Aſt vndæ ſalebras æquet *Iâpygis*
Aura. Voſq; ſuperſtites
Sub primo referant vere *Favonij*.

Ad Elizabetham diſceſſuram.

Non metus eſt * *Helenam* ſummâ de puppe ſedentem
Fluctus ciere naufragos,
Dum tu tranſtra ſubis; quâ non formoſior ignis
Accendit obſeſſum *Ilion*.

Helena antennis adhærens nautis inſeſtiſſima.

HENRICVS KING *in Art. Bacc. ex Æde Chriſti.*

MItto ſevera nimis, pullæ ſolennia pompæ:
Hic, genialis erit lucis origo, dies.
Blandulus clametur *Hymen*, lætus & *Thalaſſius*:
Feriatus jam recedat *Phœbus*, & *Libethrides*:
Hoc, amorum copulatrix *Hymenæon* perſonet,
Et *pharetratus puer*, qui movit ignes intimos:
Quæq; ſylvas, quæq; fontes, quęq; lucos incolunt
Nymphulæ, tædas frequentent, cum tenellis *Gratijs*.
Deſtinatum reddidit ſerus dies connubium:

Fron-

Fronde postes nùnc virent, flammisq; fervent compita,
Flammeis & SPONSA vultus velat, & crocotulis.
Blandulus clametur *Hymen*, lætus & *Thalassius*.
Hìnc MARITVS vix ephebi, mollis, annos exuit;
Et videntur purpuræ crescenti adhuc decrescere:
Nec decorum cingit os lanugo, quæ, post crimina
Invidendi corporis, formæq; luxum prodigæ,
Fœminarum imberbium transire de sexu jubet.
Intùs autem casta mens ætatulâ matùrior
Efficit canam juventam, quæ senilem tramitem
Monstrat, vt possit teneri conjugali fœdere.
Blandulus clametur *Hymen*, lætus & *Thalassius*.
Virgines inter pudicas NVPTA tandèm prodijt;
NVPTA qualem dedicaret tàm superbis, pronuba
Juno, lectis: non *Falisci* rivulus *Clitumnius*,
Reddidit tàm delicatæ formæ, opimam copiam.
Hanc videns, liquisset *Evan*, non amatam *Gnossida*;
Seq; *Servum* (libens,) etsi *Liber* esset, diceret.
Et colum fortassè herilem carperet *Tirynthius*.
Nec deesset proco s inter, plumâ & auro, *Iuppiter*.
Blandulus clametur *Hymen*, lætus & *Thalassius*.
Nuptiæ fiunt quotannis, sed pusillæ nuptiæ;
Solus aut REX, aut ELISA, non quotannis ducitur.
Indè turbæ mixta vox, vtroq; faustos clamitat;
(Non *Osyris* plùs vocatus; non *Hylas* in littore:)
Hìnc, & omnes picta ventris glutiunt ludibria,
Et culullis hauriunt oblivioſum *Massicum*
Et sonantem, libero, terram repulsant, verbere.
Hic *Dies* festus fuit; *Noctem* MARITVS concinat.
Blandulus clametur *Hymen*, lætus & *Thalassius*.

Epigram-

Epigramma ad Palatinum.

Vix quicquam, *nucibus* facis *relictis*,
Et spargis properè nuces MARITVS:
Jam verè Patruos sapis, Patresq;,
Nam verus *Patriæ* es *Pater* futurus.

Ad Elisam de Dote.

Additur in *dotem* spes regni, copia nummi
Additur: hæc non dos, sed *paraphera* Tibi.
Est Tibi magnorum virtus, dos summa, parentum,
Et casti, probitas intemerata, thori.

IOH. KINGE *in Art. Bacc. Ædis Christi.*

EVGE! reclamatas, *Academia*, siste Querelas:
Pro luctu festos concipe læta modos.
Ecce, PALATINVS, *Phœnice* priore perempto,
Alter ab Alterius morte renatus, adest.
Hic *stirpem* referet *numerosâ* prole beatam,
Fertilis à Thalamo factus, ELISA, Tuo.

Sic tibi, *Diva* potens, Magnum *Iovis* Incrementum,
Cœlesti, *Alcide*, est juncta *Iuventa*, Toro.
Qualitèr *Angliacâ* fas est modò cernere terrâ,
CONIVGE fœlicem Te, FREDERICE, *Deâ*.
Splendida præsenti celebrant sponsalia cœtu,
Officijs faciles Dijq; Deæq; novis.
Ducit *Apollo* choros; dulcésq; ante omnia *Musæ*
Concinnant lepidis congrua *vota* modis.
Prospera felici procedant sæcla *Hymenæo*,
Æterno vigeant Paxq; Fidesq; jugo.

Acclamant proceres, populus, juvenésq; senésq;;
Gaudet & auditas terra *Britanna* preces:
Quæ Tibi despondent dotes FREDERICE potentis
Herculis, atq; *Hebes* ELISABETHA Tibi.

N. BAILY V.A.B. *C.C.C.*

F as tibi *Pythagora* numeris astringere quæqu E
R abbinis elementa placent: vtrumq; tribuna L
E st quo cuncta petunt fati decreta futur I
D ogma quidē vestros Vtrūq; videtur amore S
E ventu donare bono: FREDERICVS & ipſ A
R espondet sponsæ fortunâ nominis: hic a B
I llius numero numerus formatur, & ist E
C omplecti solet vsq; sacrum denarius: orna T
V irtutes perfecta tuas mensura: Jehov H
S it tibi propitius, lætus totus, ampla juvent A

Conjugijs FREDERICE tuis tria vincula nectis:
NVPTA viget regnis, *Anglia* læta, tuis.
En cum vinifero *Thamisis* sponsalia *Rheno*
Tractat, vt in vestrum cedat vterq; decus.
En Triades Charitum jucundis juncta Camęnis,
Ornet vt hos Vestros, vis vtriusq; toros.
Vna tibi Thalamos accedet ELISA jugales
Illis pro famulis dum potiaré, tuis.

NATH. CARPENTER *in Art. Bacc. Coll. Exon. Soc.*

VNus eras, vestram quando FREDERICE dederunt
Littoribus nostris vela secunda ratem.
Cernimus at nùnc te factum duo corpora, sed quæ
Indivisa vnum Corregat, vnus Amor.

Ve-

Vestrum opus hoc (superi) per Vos jam Binus & Vnus
Post annum (optamus) Tertius vt redeat.

C. WREN *in Art. Bacc. Ioannensis.*

REginæ quod erat magnum & memorabile *nomen*,
Nomen ELISA Tibi est Nobile; Nomen amo.
Quodq; fuit *magni* nupèr mihi *Principis*, illud
Jam FREDERICE Tibi est; hoc quoq; nomẽ amo.
O quos heroas dabitis? quæ numina terris?
ILLA quibus Mater, Tu FREDERICE Pater?

Quàm benè conveniunt vnâ FREDERICVS, ELISA,
Rhene tuum decus, et *terra Britanna* tuum!
Ille suos iactat *Casimiros*, Illa *Stuartos*;
O quàm divinum iactat vterq; genus,
Ille *fidem* à teneris veram, veram imbibit Illa;
O quàm firmatâ clarus vterq; fide!
Corporis Hæc dotes, dotes Hic corporis affert,
Dotibus Illa animi, dotibus Ille placet.
Non alium Hic PRINCEPS potuit duxisse maritam
Non alij potuit nubere ELISA viro.
Nempe pares deposcit *Hymen*; totumq; per orbẽ
Non habet Illa sibi, non habet Ille parem.

De eo, quod in Insignibus suis Orbem gerat.

Cur FREDERICE Tuis gestas *Insignibus Orbem*
Cui datur in socio regia virgo toro?
Annè quod hic orbis verum designat amorem
(Orbis nam finem nescit, Amorq; suum;

Anuè quòd imperium totum designat in orbem,
Quo fueras dudùm dignus? vtrumq; puto.

Ad Comitem Palatinum quod mense Augusto natus.

Cæsaris Augusti natus sub mense fuisti,
Augustus Cæsar forte futurus eras.

Quod sol tunc temporis in virgine fuerit.

Cum natus (nam natus eras fœlicibus astris)
Cœlesti situs in *Virgine Phœbus* erat.
Cum datus vxori (datus es fœlicibus astris)
Cœlesti frueris virginis ipse toro.

Anagram.

{FREDERICVS CASIMIRVS ELISABETA STVARTA}
{*Istis (nos) terris facimus durare beata Secula.*}

Carmina non opus est, nec laudes scribere vestras,
Nomina qui scripsit, fecit vtrumq; satis.

I. RICHARDS *in Art. Bac. Nov. Coll. Soc.*

COnjugium hoc tantum poterit quis cælibe *Musâ*
Pangere? non homines, nubere Regna volunt.
Iunguntur populi, coeuntq; hoc *sanguine* gentes,
Quas sibi vicinas terra, fretumq; negant.
Faustus HYMEN venias, & qui sic regna maritant,
In populum crescant fœcilitate suâ.
Emeritus nunc sit Mavors, pacisq; triumphum
Securè celebrent mundus *Hymene*, pares.

H. PARRY *Art. Bac. C. C. C.*

DIc tandem mihi Fama dic amâbo
Musæ splendidulis novem revinctę
Sertis, sic Helicone cur ab alto
Passim conveniunt faces ferentes?
Cur nexis manibus leves choreas
Tàm præter solitum colant, venustas
Tu dicas soror ô mihi *Thalia*?

THALIA.

Hæc lux quæ roseâ lampade panditur,
Hęc, hęc lux FREDERICO dabit osculum,
Præbens coniugium sydere faustulo.

EVPHROSYNE.

Principi Princeps datur alma forti,
Principis nato soboles Iacobi,
Principi Princeps FREDERICO ELISA
Candida nupsit.

AGLAIA.

Ducat in vxorem, pulchram FREDERICVS ELISAM;
Sic Dea nupta Deo est, junctaq; Iuno Iovi.

ANT. NORTHCOT *Bac. Art. Coll. Exon.*

E, F, litterulas vicinas novimus, & si
Jungantur, tanquàm littera sola sonant.
Jure quidem sonus est vnus, cum pectora in vnũ
Sic coeant, modò quæ visa fuêre duo.
Nomen ELISA Tuum notat E, FREDERICE, Tuũ F.
F, E, FElices qui benè jungit habet.

IO. DOWRICHE *in Art. Bacc. è Coll. Exon.*

IAm per templa choros fœlix *Hymenæus* ovantes
Ducit, & ardentes fert *Gytherea* faces.
Nobilis illustrem duxit FREDERICVS ELISAM,
Magnus vtrisq; decor, magnus vtrisq; & amor.
Anglo-Rhenenſis concordia fulget in Jllo,
Surgit & ex Jllâ *Rheno-Britannus* amor.
Regia nobilitas, paritèrq; Heroica virtus
Fœdera junxerunt conſociandа diù.
Sic *benè conveniunt & in una ſede morantur*
Splendida *maieſtas* & generoſus *amor*.

IOH. ENGLISH *in Art. Bacc. è Coll. Bal.*

COnjunctum *Lunæ Solem* nox atra ſequetur,
Sic dicunt, qui ſe dicere vera putant.
Ergo cur, junctos Solem Lunamq; Planetas
In noſtro ſequitur clarior orbe dies?
Scilicèt illa loco clareſcunt diſſita, juxtà
Hæc ſita fulgidius ſydera lumen habent.
Et ſimili ſemper ſplendeſcant lumine; tali
Eclipſi noſtro fiat in orbe, dies.

E. HVRD. *Bacc. Art. C. C. C.*

De Principis vtriuſq; Leonibus.

NOn ego, cùm duxit, miror, FREDERICVS ELIZAM,
Formidet tantum quòd *Ieſuita* ſibi.
Nec mirum eſt, vires cùm conjunxêre *Leones*
Iudæ, *Baſſanos* tam trepidare *Boves*.

GVLI. MOORE *in Art. Bac. Nov. Coll. Socius.*

Ad

Ad ELISABETHAM *Nuptam de Virgine Eliſabetha;*

E *Liſabetha* dedit Regem non nupta JACOBVM.
Nupta dabis nullum? nil valet alma *Venus?*
Vota nihil? Nuptam Regum decet eſſe feracem,
Cùm Virgo Regem non pariendo parit.

ANT. WHITE *in Art. Bacc. C. C. C.*

FLoreſcit vitis cum non conjungitur vlmus,
Viribus vlme tuis, & ſine vite, vires:
Fert uvas, vlmo ſi ſit conjuncta marito,
Vitis, ſitq; magìs quam fuit ante virens.
Vitis es ELISABETHA, Tuus FREDERICVS & vlmus,
Fauſtis ominibus jungitis ambo manus.
Fœlix Tu ſolus, fœlix Tu ſola fuiſti,
Tuq; magis fœlix, Tu quóq; junctus, eris:
Gaudebit gemmis, orbis lætabitur uvis
ELISABETHA Tuis, &, FREDERICE, Tuis.

ROB. SKINNER *in Art. Bacc. è Coll. Trin.*

EXuvijs ſpolianda manet *Romana* ſuperbis
Curia, quiq; ſuas *claves*, ſua numina jactat,
Ianitor inferni, & populum dementat *Iberum*.
Auguſtam dent iſta (precor) connubia prolem,
Numine quæ *triplicem* quatiat præ eunte *Coronâ*
Relliquias ſtultæ gentis; nevè antè quieſcat
Totum ſub ſacras leges quàm miſerit orbem.

CHRI. POTTER *in Art. Bacc. è Coll. Reg.*

In

EPITHALAMIA.

In Diem Nuptialem Valentini nomine insignitum.

LVce *Valentini* paribus coijsse *volucres*
Semper adhùc visum, fabula prisca fuit.
In dubio causa est, fertur natura quòd omnes
Tum nasci similes, edocuisset aves.
Mira quidem, non vana loquor, nam cuncta probârunt
Faustum, fœlici tempore adesse torum:
ELISABETHA pio quo tempore juncta MARITO,
Et quo *Germano* est *Anglia* juncta solo.
Ite ergò, *Volucres* quem prædixêre, quotannis
Hunc, in perpetuum concelebrare, diem.

THO. PHILPOT *in Art. Bacc. Nov. Coll. Socius.*

FIcta poeta refert, *numero deus impare gaudet;*
Et numero gaudent numina summa pari.
Aut si vera canit, numero deus impare gaudet,
Vnum; conjugio, vult deus esse duos.

THO. WILSON *in Art. Bacc. ex Æde Christi.*

DVm *Templum* versùs *dea* pronuba ducit ELISAM,
Quæ mox *Germani* est Sponsa futura DVCIS.
Ipsa sacrum Templum spectantibus esse videtur,
In quo virtuti nubere forma parat.

MICH. IERMIN *in Art. Bacc. C. C. C.*

NVlla Tuæ SPONSÆ par est (COMES) altera: nulla
Virtute est impar, altera sponsa Tuæ.
Tu Sponsæ compar: alter non altera par es:
Inter Virgineos præminet Illa choros.

Im-

Impar nulla tamen: miraris? quod fuit impar,
Par, vnum reliquis si modò jungis, erit.
Adde duas Veneri virtutes, ter, quater; illam
Huic sponsam nequeunt reddere mille parem.

ED. NICOLSON *in Art. Bac. Coll. Reg.*

Ad Elisabetham.

GAllus eques, fortis *Germanus*, dives *Iberus*,
Conjugium properant sollicitare Tuum.
Hic Marte, ille opibus clarus, Germanicus heros
Bello, divitijs, relligione potens.
Hic infans, alter senior, Germanicus heros,
Tàm procùl è puero, quàm procùl à senio.
Hunc meritò præfers reliquis, cui competit vni
Ætas, divitiæ, gloria, relligio.

IOH. SELLER *in Art Bacc. C.C.C.*

CVr adeò properè nunc prodit *Flora* sub auras?
Annè cupit Thalamos hæc FREDERICE Tuos?
Infelix, tantum quæ frustrà concipit ignem;
Quos ornet, sed non queis potiatur, habet.
Esto, quòd alba gerat formoso lilia vultu,
Lilia cui cedunt, ELISABETHA Tua est.
Esto licèt teneros violis sit cincta capillos:
Cui violæ sordent, ELISABETHA Tua est.
Esto, etiam varijs niteant quòd pectora gemmis,
Quæ superat gemmas, ELISABETHA Tua est.
Quin iterùm caput illa suum tellure recondat:
Quod speret, nihil est; ELISABETHA Tua est.

IO. SMITH *in Art. Bacc. Coll. Magd.*

VNde repentino fremuerunt omnia cantu?
Cur *Musæ* tacitis iterant *Paana* sub vmbris?
Nuper erat tristis *Phœbus*, mutæq; *Sorores*,
Elinguis *Delphos* & sine voce *Chelys*.
Nunc *Delphos* patet, & divino numine plena
Phœbeis iterùm *Cortyna* remugit ab antris.
Ornantur *Musæ*, resonat *Chelys*, *Orphea* dicas
Threïciam digitis increpuisse lyram.
Fallimur? an tristes Tibi se FREDERICE CAMŒNÆ
Exornant? Tibi dona ferunt? Tibi lillia *Nymphæ*
Asportant? Certè Soli Tibi; Tuq; tot inter
Solus es *Aonias* carpere dignus opes.
Sic certè est; gemino resonant hinc omnia plausu,
Hinc *Chelys* audita est, hinc sylvis garrula *Nymphæ*.
Cantat, Jo *Hymen*, præstò est, lux illa *Britannis*
Exoptata diù, *Teutonibúsq;* diù
Vênit. Habes tandem longâ quod mente petîsti
Teutonidum Decus, injustas jam pone querelas,
Incusare moras nimiùm jam desine longas:
Namq; moræ referes Præmia magna tuę.
Grande tibi pretium est præstanti corpore *Nympha*,
Ni Dea nata foret, fieri *Dea* cælica digna,
Digna quidem facies rapidos quam tràns maris æstus
Classe *Paris* rapiat, milite *Achaia* petat.
Jpse Tuus Tibi testis ades, formæq; decoræ
Atq; animi judex: fama haud mendacia finxit.
Re minor evasit (Proh mirum!) Rumor, & infans
Hîc tantùm, in reliquis garrula, *Suada* fuit.
Perge modò atq; hinc te Reginæ ad limina perfer.
Fortunati ambo sitis, Tv terq; Beatus
Florescas nostri semper sub Amore JACOBI,
Imperij donec Sceptra verenda geras.

GVLI. RIPPON *in Art. Bacc. Ioannens.*

HVc agite Heroum tædas celebrate jugales,
Caſtalides lætum hunc concelebrate diem.
Hùc age *Caſtalii* Præſes celeberrime fontis,
Splendeat in dextrâ *Laurus* opima manu.
Flora viam violis & floribus ornet amœnis,
Cum placido veniat vere ſerenus amor.
Tota cohors Superûm cœleſtes deſerat ædes,
Sacri vt concelebrent regia vincla thori.
Exultet *Cytherea*, faces *Hymenæus* amoris
Geſtet ovans, paſſim vox benè læta ſonet;
Duxit formoſam DVX inclytus ELISABETHAM,
Quos modo fœlici fœdere iunxit amor,
Vivant concordes fælici prole beati,
Longaq; CVMÆ ſecula *vatis* agant.

TH. ABBOT *in Art. Bac. è Coll. Bal.*

CVr ver tàm properans, Hyemem cur *Flora* fugavit
Tam citò, ſuaviferis floribus arva beans:
Spectatum properant *Hymen* tædaſq; iugales
Regales, pompas *Anglia* fauſta tuas:
Vt decorent thalamos, flores pro munere libant,
ELISABETHA Tuos, & FREDERICE Tuos:

WAL. MOHVN *Art. Bac. ex aul. Magd.*

VIRGO vade foràs læto occurſura MARITO,
Nè limen (vetus eſt) ſuſpicioſa time;
Cholchica non poterunt Te lædere pharmaca, tanti,
Sponſales ritus, numinis omen habent.
Stant *Charites* tædas manibus geſtare paratæ,
Pronuba ſtat thalamis officioſa *Venus*:

VIRGO vade foràs, amor eſt in paſſibus ipſis,
Velet *Hymen* ſacro cætera flammeolo.

GAB. BRIDGES *Art. Bac. è C.C.C.*

VIres addendo ſit magna potentia maior:
Et quas non vires *Principi* ineſſe putes?
Ergo in conjugio junctus, cum *Principe Princeps*,
Quantus in ELISA nunc FREDERICVS erit?

TH. DRAKE *Art. Bac. Coll. Exon Gener.*

NOn te germanus *Fredericus* (ELISA) reliquit;
Dum tibi *Germanus* vir FREDERICVS erit.

Anna mihi, *formam* ſpectanti; *nomen*, *Eliza*;
Annos neutra; *animos*, *vtrag*; viſa mihi es.

A SOCERO (generoſe GENER) non degener eſto;
Et vitam, vt vultum, matris (ELISA) refer.

TH. PRICHARD, *Art. Bac. è Coll. Ieſu.*

HIſpanum non vult cur *Eliſabetha* maritum?
Germanam præfert relligioſa fidem.

G. BOD. *ex Aul. Cerv. Bac. Art.*

LÆta *Sybillinos* videat felicitèr annos
Iuncta PALATINO dulcis ELISA ſuo.
Plura loqui vereor, ne vellat Cynthius aurẽ
Dicens, hæc noſtrâ ſunt modulanda Lyrâ.

GVL. BROCKMAN *Armig. fil. è C.C.C.*

Quàm

QVàm lætas, lautáſq; dapes (FREDERICE) *Britannis*
Germaniſq; tuis (Sorte favente) paras?
Te nobis, Illis pulchram das ELISABETHAM:
Nonnè dapes ſummæ? Maximus es *Dapifer.*

G. GVYES *Armig. F. Coll. Reg.*

QVantus es *Electror* Romano *Cæſare* conſtat,
Conſtat & electâ *Coniuge Cæſareâ.*
Imperij Electror quod ſis non ſufficit? annè
Eligis in noſtris Imperium thalamis?

R. SALKELD *Armig. fil. è Coll Reg.*

NObilitas titulis ſi delectetur honoris,
Mox titulum titulis addet ELISA Tuis:
Nobilis es patriæ Princeps iam dictus, at Illa
Efficiet patriæ te *Frederice*, Patrem.

I. FORTESCVE *ex Aul. Cervina, Gener.*

FÆlix VIRGO Parente REGE magno
Fælix Matre Tua (Britanna VIRGO)
Fælix Principe Fratre (caſta VIRGO)
Fælix coniuge (Pura SPONSA) claro;
Fælix ſis ſobole atq; prole, creſce
Fælix ELISABETHA: ſic precamur.
Par regale ſine Pari.
Sit ſocero ſimilis FREDERICVS, ELISAq; matri
Nam ſic nulla pares ſecla futura dabunt.

WALT. LLOYD.

PErſicos affer, puer, apparatus;
Nuptias tandem celebrare myrto
Cypriâ fas eſt. fidibus, corollis,
Thure *Sabæo.*
Libero demùm pede quiſq; terram
Pulſet in morem Salium, (bibendi
Nunc adeſt tempus,) validi reponat
Pocula vini.
Ecce formoſæ Thetidis futuras
Nuptias clari & Pelei, deorum
Turba, præſenti, ſimùl & dearum,
Numine ſacrat.
Gratias zonis video ſolutis
Simplices, *Nymphas* video canentes,
His *Deus cæcus*, venit & *Iuventas*,
Et *Cytherea.*
Hæc tuas quòd jam referant ELISA
Nuptias, haud fas dubitare quenquam,
Quin vt ex tali veniat parente
Alter ACHILLES.

I. HOOKER *C.C.C.*

Ad Com. Palat.

SIve tuos cuperem *Germanus*, an *Anglus* honores
Neſcio: Se precibus prodit uterq; meis:
Anglia largita eſt mores, *Germania* partum,
Vtrovis pro te nomine vota feram.
Sit tibi, fauſtus *Hymen*, Thalamis & SPONSA beatis
Floreat, vt ramis planta ſit ampla ſuis.

IOHANNES SCHERMARIVS
Germanus Coll. Exon.

Jam

IAm clametur *Hymen*,& læta remugiat *Eccho*
Per terrę faciem,pelagumq; tumentibus vndis:
Omnes jam cedant curę: procùl eccè Camœnę
Demigrant Helicone,novẽ:quatiuntq; coruſcæ,
Solennem,thalamis conjunctis,lampadis ignem:
Quas intèr,vultu petulans *Elegia*, ſorores
Hortatur precibus,muſam decimamq; videri
Se cupit: & numero tandèm conjuncta noveno,
Conatur noſtris ſe commiſcere triumphis:
Sed properè fugiat,noſtriſq; è finibus exul,
Non moveat,lachrymoſa,novo terrore *Britãnos:*
Non hìc exequijs pateat locus,appagè luctus,
Curaq; funebris: procùl, ô procùl eſte dolores:
Non hìc lethiferam quatiat mors pallida tædam:
Nevè triumphantes cives deterreat horror:
Lampada tu dulcis quatias *Hymenæe* jugalem:
Cui Genialis amor,cui ſunt connubia curæ:
Mortis fama tacet: conſumpta eſt fabula vulgi:
Et narrata diù ſpectant connubia cives.

ROB. KINGE *ex Æde Chriſti.*

POnte ſuperpoſito *Rheni* conjungere ripas
Fertur Romani gloria magna ducis.
Oceano poſuit Princeps FREDERICVS; haberi
O tanto digna eſt gloria quanta viro?
Nam modò *Germanæ* telluri juncta videtur
Anglia; fœlici quæ bona parta toro.
Magne tamen *Princeps*, non tam te laudo, quòd auſus
Arctoum ponti ſuppoſuiſſe fretum:
Quam quòd promittis *Romanam* in *Tybride* molem,
Vnâ & Pontificem præcipitare ſuum.

Qui

Qui sic jungebat, junctos sic seruet amantes;
Donec sit summo junctus vterq; Deo.

CAROLVS HERBERT è *Coll. Nov.*

COnjugium potuit non convenientius esse;
En COMITI adjuncta est ELISABETHA comes.

THO. MERIOT *Iurista Nov. Coll. Socius.*

RHeni pampineis quondam gavisa racemis
Iactet honoratas postmodò ripa *rosas*
Quas atavi junxere: *Albam rubramq;* videtur
Ferre verecundis ELISABETHA genis.

Ad Illustriss. Com. Palatinum.

Cæsaris eximium tribuêre Palatia nomen,
Inde PALATINVS diceris esse COMES.
Hebraicè At Decus, ELISABETHA [a] *Dei Domus*, auget, vbi in te
Conjunctum Imperium cùm *Iove* Cæsar habet.

RICH. ZOVCHE *Iurista Nov. Coll. Socius.*

SI totas terras peragraret vterq;, paremq;
Jlle sibi vxorem quæreret, Jlla virum.
Hanc solam vxorem multis è millibus, Jlle
Duceret, Huic soli nuberet Jlla viro.

THO. CRANE *Nov. Coll. Socius.*

In diem nuptialem, Solis dictum.

IMposuere olim stellæ diversa diebus
Nomina diversis: satis vni erat vna diei:

Non

Non huic *Sol* solus nomen, nec sola datura
Luna, nec est vllus solâ virtute Planeta:
Solis erit, *Lunæq;* dies, ab vtroq; Planetâ,
In quo Sol Lunæ junctus, FREDERICVS ELISÆ.
Nec luna *ecclipsin*, nec Sol patiatur; & illis
Interponatur nec tellus vlla nec vnda:
Neutrius lucem nubes obscuret; vterq;
Fœlici sphærâ splendescens currat in vnâ;
Et benè tellurem, benè temperet æquor vterq;;
Influxuq; suo sua sublumaria dulci
Nutriat: & motu sacro inferiora calescant.
Det lunæ sol lucem, & soli luna rependat,
Lumine dum tanto totus resplendeat orbis.

RICH. PAINE *Nov. Coll. Socius.*

De die nuptiali.

LÆtum redde diem cupidis, *Aurora*, *Britannis*,
Redde diem nitidis, *Phœbe*, revectus equis.
At si nolitis, vestro sine lumine, terris
Lucem hodiè SPONSVS, SPONSAQ; pulchra dabunt.
Auroram, splendore Tuo, Tu vincis ELISA,
Et *Phœbum* radijs, Tu FREDERICE, Tuis.

Nostra quòd externas omnes *Ecclesia* vincat,
Debetur PATRI Gloria sola, Tuo!
Anglica quòd reliquas mulieres *Fœmina* vincat,
Hæc formæ laus est, ELISABETHA, Tuæ.
Et quantum formâ tantum virtutis honore
Exuperas sexum, Nympha beata, Tuum.

MADGWICKE.

AVrea, quis dubitat, possintnè revertere sæcla?
Aureus est verè scilicèt iste dies:
Ver erat æternum, cùm prima resulserit ætas;
Nunc quoq; perpetuus veris habetur honos.
Inter & hybernos (visu mirabile) menses
Ecce gerit viridem florida terra togam:
Sol quoq; de thalamo pergit quasi sponsus Eoo,
Et radio deciès splendidiore micat.
Audin? vel furor has eludit amabilis aures,
Aut dant harmonicos sydera versa tonos.
Omne tibi (FREDERICE) favet, cœlumq; solumq;
Omne solum, & cœlum plaudit (ELISA) Tibi.

IOAN. *South, Civil. Nov. Coll. Soc.*

IAm concolores luctibus exue,
Beata, vestes, Insula, nænias
Dedisce lugubres, diemq;
Accipe post tenebras renatum.
Vultum maritus, sol tuus, extulit,
Et sponsa pulchro sydere pulchrior:
Prælucet astris (en) tuarum
Grande decus columenq; rerum.
O lux, nec vlla impensiùs ad sacra
Vocatus *Hymen*, o *Britonum* preces!
Iactat lacertos & resurgit
Spes stabilis rediviva regni.
Lætata nostris Roma doloribus
Dolore frustrà carpitur invido:
Non vna fax vtrisq; læta
Romulidis micat, & *Britannis*.

Vt-

Vtcunq;, noſtris finibus expulit
Fax nuptialis funeream facem:
Pulſi dolores; & fugatis
Læta dies properat tenebris.

T. GALL *Mert.*

Anagram.

FREDERICVS COMES PALATINVS RHENI ELISABETAE SPONSVS
Februarius clemens ſpondet ei choreas ſaleis, Nuptias.

Poſt luctus ludi, poſt fletus gaudia, ſplendor
Poſt tenebras, lætum ſic poſt epicedia carmen.
Tempore brumali cecidit ſpes magna BRITANNVM,
Deiectis animis ſpondet vernale ſalutem.
Noſter erat nupèr FREDERICVS cauſa dolendi,
Alter erit poſthàc FREDERICVS cauſa canendi.

[a] N. noſtram gelido percuſſit vulnere gentem,
[b] F. fert antidotum, diſpellens corde venenum.

[a] *Novemb.*
[b] *Februar.*

I. BERRY *Coll. Exon.*

Ad Eliſabetham, in verſus Oxonienſes.

Hos pro te flores *Muſæ*, ELISABETHA, parârunt
Hiſce ſit ad Thalamos vt via ſtrata Tuos.

H. WHITFEILD *Iuriſta, Nov. Coll. Soc.*

FAuſta PALATINI natalem *Belgia* iactet,
Scotia natalem iactet ELISA Tuum;

Suavitèr vnitos thalamis quæ iactet vtroſq;,
Plus nec habet nec plus *Anglica* terra cupit:
Singula natalis fuerant, bona ſingula ceſſant;
Iunctaq; fælici ſunt geminata toro.

WARNER SOVTH *Inriſt. Nov. Coll. Soc.*

Ad Carolum Principem.

ECcce novus FREDERICVS erit tibi CAROLE Frater,
Nec minor eſt Illo, qui Tibi nupèr erat.

Ad Comitem Palatinum.

Dives, docta, bona eſt vxor vix vlla, triumpha,
Dives, docta, bona eſt ELISABETHA Tua.

L. WARNEFORD.

SYdera ſi quicquam, ſi quid coniunctio præſtent,
Ominor omne tibi terra *Britanna* bonum.
En tibi devictos hoſtes! en præmia pacis!
Climate junguntur *Marſq; Venuſq;* Tuo.
Mars en *Germanus*, Venus *Anglica*; Mars FREDERICVS
ELISABETHA Venus: quàm coiere pares!
Mars tam pace potens quàm bello, ivtrinq; paratus,
Et quàm pulchra Venus, tam quoq; caſta Venus.

N. STOVGHTON *Nov. Col. Soc.*

COrporis atq; animæ divortia ſæva fuêre,
Hinc fudit lachrymas Anglia mœſta ſuas.
Corporis atq; animæ coniunctio fauſta ſecuta eſt,
Hinc ſumit riſus, *Anglia* læta novos.

Ad Annam Reginam.

Scimus *Latonam*, geminâ cum prole beatam,
Filius huic vnus, filiaq; vna fuit.
Regina *Anglorum*, tu nunc *Latona* fereris
Vnus *Apollo* tibi est, vna *Diana* tibi.
Nunquàm des natæ (dederat pater antè *Dianæ*)
Perpetuâ vt possit virginitate frui.
Nam, *Regina*, Tibi multos feret illa nepotes,
Et faciet semen multiplicare tuum.

I. GRENT *Nov. Coll. Soc.*

NVllius patiens comitis solet esse potestas,
Imperiumq; duos non sinit esse pares.
Non tulit *Augustus* socialia fœdera regni,
Non tulit *Augustos*, *Cæsar* in orbe duos.
En tamen hìc Comites sociali fœdere regni
Coniungunt dextras & iuvat esse pares.
Respicias mentes, illis amor imperat, vnus
Cum sit amor, mens his vna duobus erit.
Respicias carnem, non est diversa sed vna,
Vna caro geminos, mens, tenet, vna duos.
Nuptiæ amicitijs præstant hoc scilicèt vno,
Idem ego Vir, socius dicitur *Alter ego*.

ED. COLLYNS *ex Aul. Cervinâ.*

PLaudite iam cœli, fit conjux *Herculis Hebe*:
Pulchrior Ista tamen, fortis & iste magis.

Nomina temporibus fallacia Fata dedistis,
Vt benè compensent Februa damna Febris:

Iſte dies Domini, quo Princeps ſydera ſcandit;
Quo nubit Princeps, Iſte dies Veneris.

Fæmineam *Thameſin Rhenus* complectitur vlnis
Maſculus, Hinc ingens Oceanus dabitur.

Angli Saxonibus, Germanis Saxones orti.
Hoc igitur thalamis fit FREDERICE Tuis,
Vt ſoror atq; Avia eſt eadem Germania noſtræ
Iam patriæ. Dauo Sphinx ſatis iſta patet.

IASP. FISHER.

Ad Eliſam de die nuptiali
Epigramma.

DIfferri vult quiſq; diem, plus carminis optant;
Vellem ego differri carmen, & opto diem;
Namq; dies (novi) ſatis illa placebit Elizæ:
Non novi, carmen poſſe placere meum.

G. SEBASTIAN.

Ad Charolum Principem.

Ne tibi germanus, comes inclyte, deforet vnquam,
Dij pro germano, *Germanum*, fratre dederunt.

BARTH. PARR *Coll. Exon.*

Ad

Ad Com. Palat, Anagramma.

{ELISABETHA STEVART,}
{*Beata erit, & Salus.*}

SI cuiq; æternùm bona, vel ſine fine dolenda
Conjugio ſtabili eſt alea jacta viro:
Te FREDERICE, Deus quàm fauſtâ ſorte beavit
Cui comes & conjux ELISABETHA datur!
Jlla tibi ſummam dabit ipſa *Beata Salutem*
Virtute illuſtri, prole, & amore ſuo.

Ad eundem.

Singula quæ faciunt multis diviſa beatos,
In te mixta fluunt omnia, magne Comes.
Majorum titulis, regniſq; beatus avitis,
Auctus es ingenij nobilitate Tui;
At cœli tangas vt ſydera vertice ſummâ
Accedens thalamo fecit ELISA tuo.

IOAN. SAVAGE *Nov. Col. Socius.*

ALij mariti jungere familias ſolent;
At regna (JUVENIS Clare) tu jungis duo.
Namq; per eaſdem jam faces nubit ſimùl
FREDERICO ELISA & *Albion Germania.*

ED. WHEATLY *Ioannenſis.*

NObile terrarum nunc par ſine compare nuptum:
Non melior conjux, vir meliorvè datur.

ROB. MILWARD *Armig. filius Nat. Max. Coll. Reg.*

Eſt

Est mater, *Scotiæ* mihi terra; sed Anglia nutrix:
Vendicat & partes vtraq; jure suas.
Quæ genuit, quæ me gremio fovet Insula, partem
Vendicat: at totam me FREDERICE capis.

RICH. FALLOWFEILD *Gen. Coll. Reg.*

Ad Germaniam.

Gemmea tu posthac *Germania* jure voceris,
Namq; orbis gemmam jam FREDERICVS habet.

PE. PRIDEAVX *Coll. Exon.*

In Nuptias Frederici & Elizabethæ.

Chronogramma.

HIC CLarVs CLarÆ CoMes est PaLatInVs ELIzæ.
MDCXIII.

MIllenus, sexcentenus, decimo date trinum,
Aureus est annus, compensans damna prioris.

Princeps en celebris, celebris fit principis vxor,
Principe VIRGO digna, & dignus Virgine Princeps.
Progeniem pariant vtriusq; parentibus æquam
Faxit, vt in terris, sic cœlis sceptra tenentem.

SAM. RANDALL: *Coll. Exon.*

Anagram.

{ELISABETHA STEVARTA PRINCEPS.}
{*Restas Palatini pectus habere.*}

SOla PALATINI quæ *restat pectus habere*,
Hunc solum, cuius pectus haberet, habet.

Pe-

Pectus amatoris vultu hæc, hic fœdus amoris;
Fœdera, verus amor pectoris, ista probat.

I. BAKER *Coll. Exon.*

QVos decus immensum meritò diffudit in orbem,
Nobilis en vno junxit amor thalamo:
Non opus vlteriùs titulos hæc *vnio* quærat,
Nomine nempe satis nobilitata *suo est*.

RICH. TAYLOR *ex Aul. Cervina.*

Votum nuptiale.

QVod nos conjugijs vestris FRIDERICE vovemus
Omen, idem præstent æva futura tuis.
Vt dum Sol durat, durat dum Cynthia cœlis,
Dicant, en sobolem MAGNE JACOBE tuam.

NICH. LYDE *Coll. Exon.*

THamisis & *Rhenus* junguntur: Quotquot olores
Fluminis indigenæ sunt vtriusq;, canant.
Vos (quotcunq; parit *Germania* vel *Anglica* tellus)
Appello, ô vates, suaviloquensq; cohors.
Vos sponsale metrum thalamis afferte paratis,
Et prece pro nuptis sollicitate *Deos*.
Scilicèt *Hermionen* cùm duxit *Agenore* natus,
A patre de patriâ cedere jussus humo,
Adfuit, atq; lyram *Clarius* pulsabat *Apollo*;
Adfuit Aonij ter-trias alma chori.
Sic apud *Oebalidas*, *Graiæ* cecinêre puellæ,
Atriden *Helenæ* cùm sociaret amor.

Iustius hos cantu thalamos celebrare, canendi
Materiam vobis ille, vel illa dabit.

I. FLAVELL. *Coll. Trin.*

TAndem querelis pone modum tuis,
Luctuſq; mœſtos *Anglia* ter potens,
Abrumpe nunc voces acutas
Nunc lachrymas, tragicoſq; cantus
Poſtquam per vndas ſævijt Æolus
Voluens procellis æquora turbidis
Soles renaſcuntur ſereni,
Et placido fluit vnda curſu.
Quas Parca nigras depoſuit faces,
Poſt magna magni funera Principis;
His, lætè, ſuſceptis ELISÆ
Nunc celebras, *Hymineæ* tædas.
Princeps amoris cuſpide percitus
Rheni tetendit littoribus manum,
Quâ lilium carpſit virеſcens
Ad Thamiſis refluentis vndas.
Jam vera narrat vox populi: Manus
Natura longas principibus dedit:
Sed longiores his poteſtas,
Et tribuit *Cytherea* dextras.
O quanta vis eſt fida *Cupidinis*,
Quam nec procellæ terruit impetus
Nec terra diſſolvit remota,
Nec rigidi domuêre venti.
Vos alma divûm cœlicolûm cohors,
Tam firma dextris nectite vincula,

Par

Pax alma consistat cubili,
Et faveat *Cytherea* cæptis.
Vt spissa ramis vlmus in hortulis
Stat vite dulci cincta virentibus;
Sic iunctus est vinclis Elisæ
Connubij Fredericvs almæ:
Hæc par per vrbes, per mare transeat,
Noscant & omnes: audiat, audiat
Hispanvs, audacemq; eorum
Progeniem metuat futuram.
At nos scientes prospera, seraq;,
Mansisse eosdem fata, procùl metu
Omni repulso; hymnum saluti
Æolijs fidibus canemus.

CAR. STOCKWELL *ex Æde Christi alumnus.*

SI mihi tanta foret iucundi copia fructus,
Nomine quantum audit turba *Britanna* meo.
Aurifer his cænis Hymenæis, non meliora
Hortulus *Hesperidum* poma, nucesq; daret.

HVM. ORCHARD *Gen. Coll. Reg.*

FLorida Puniceis redimito tempora sertis,
Lætitiam vt prodas, terra *Britanna*, tuam.
Papales *Monachi* invideant, & viscera rumpant,
Romuleæq; fremat livida turba *Lupæ*.
Quin frustrà sperent Thamisin disiungere Rheno:
Hos nemo dirimet quos Deus ipse ligat.
Huc ades ô *Hymenæe*, sacris comitate catervis;
Lapsaq; sydereo pronuba *Iuno* polo.

Aurea felici decurrunt sæcula, fato,
Clara perillustri nupsit Elisa Viro

Nostra *Palatinus* peragrat quid littora *Phœbus*?
Angliaco *Daphnin* quærit in orbe suam.

Regia progenies, digno coniuncta Marito,
Sit tua felici prole beata Domus.

H. Seller, *C.C.C.*

Est Tibi, sitq; precor multos hæc Sponsa per annos,
Quam rex Jacobvs dat Friderice Tibi.
Tu Friderice pater fias, Tu mater Elisa,
Sint vobis nati, pignora chara, pij.

R. STRINGER *Nov. Coll. Soc.*

Pari iugo dulcis tractus.

Tædæ beatæ, par paremvbi ducit suam!
Tædæ beatæ, par pari vbi nubit suo!
Vestras beatas nuptias quis non puter,
O *Par* amore, stemmate, annis nobile?
Namq; è duobus alter est par alteri,
Atq; è duobus altera est par alteri,
Par esse vtriq; tertius nemo potest.
Habetis ideò vterq;, non ambo, parem.

G. BIGMORE. *Ioannen-sis.*

Carmina quisq; dare intendit, sunt carmina amoris
Signa, daret signa hæc & mea Musa libens:
Ast cum curta forent licèt ampla volumina, quicquid
Curta dare hæc nequeunt carmina, vota dabunt.

ROB. FORTESCVE *Coll. Exon.*

Tres

TRes fuerant Charites, sed donec vivit ELISA,
Quatuor: vt perijt, tres numerantur item.
Siccinè? non perijt, nam vivit ELISA secunda;
Primæ, quæ, nullo dicta secunda, modo.
Nam regina fuit, Regis quoq; nata, sororq;:
Sic tu; sed superas, mater, & vxor eris.
Quattuor, ergò manent *Charites*, dum vivit ELISA?
Quattuor, en remanent, & remanere volunt.

ROB. LLOYD *e Coll. Trin.*

Epithalamium.

SIccinè ELISA suos tam charos *deseret Anglos*?
De nego, nam patriam nunc *seret* Illa suam.

NICH. BATTERSBY *Coll. Exon.*

QVàm pia, quàm prudens, tanto quâ conjuge digna est,
Pulchra probat species, nomen (ELISA) probat:
Quàm pius, & prudens, tantâ quàm conjuge dignus,
Testantur, cœlum, sydera, terra, fretum.
His cœlum benedixit, eis pia sydera lucent:
Mite fretum reditu, terra benigna manet:
Anglia dimidium nunc his concessit amoris,
Cætera pars CAROLO debita tota manet.

BARNARD GREYNEVILE *Coll. Exon. Gen.*

Circumscriptio in Numismate Regis.

QVos deus omnipotens vero coniunxit amore
Separet hos nemo, cur? deus ipse jubet.
VOs deus omnipotens vero conjunxit amore,
Protegit, & nunquam deserit ille suos.

Papa frenaat, *Iesuita* furat, crucietur *Iberus*,
Dum tacitâ innatos fabricat arte dolos.
Vobiscùm deus est, frendens vanescet *Iberus*,
Papa furens cadet, & turpis *Iesuita* ruet.

PHILLIPPVS MYCHELL *Coll. Exon.*

De Pyrotechniâ seu igne missili quem in celebritatem nuptiarum apparant Aulici super Thamisin fluvium.

AD COMITEM PALATINVM.

FAmæ si qua fides cùm Tv connubia jungas
In *Thamisi* ludet missilis ignis aquam.
Ardoris FRIDERICE Tui est Emblema paratum
Non rudibus scis quàm sit flamma vel ignis amor.
Omnia crede tuis aliquid conferre triumphis,
Cum sit *aqua* in thalamis ingeniosa tuis.

IOH. LICHFIELD *Coll. Exon.*

THura ferant alij, reliqui sua carmina libent,
Quod sapiat tantas nil mihi restat opes.
Ast ego ne nullus videar, dignetur ELISA
Sumere ab integro Pectore χ^ῶς meum.

IO. RVMBLOVV *Coll. Exon.*

Qui

EPITHALAMIA.

QVi legis & lectos certo cupis ordine psalli
(Lector amice) modos, adhibe modulamina psal LI.

Jam nostra votis pectora
Damnata, magni cœlitum
Parentis ardent editis
nomen sonare vocibus.

Quid Angliam colentibus,
Rhenumq; combibentibus,
Grato deorum munere
posset venire lætius?

Quàm coniugali fœdere,
Sacrísq; iunctas ritibus,
Spes vtriusq; maximas,
congerminantes cernere.

Quis gaudiorum plurimo
Non obstupescat impetu,
Et hisce faustam nuptijs
non comprecetur alitem.

O dive qui iugalibus
Tædis præesse diceris,
Præsens tuo connubia
hæc auspicare numine.

Prolemq; regis optimam,
Fac prole lætam regiâ,
Olim superbi quæ Papæ
Contundat ense regiam.

BARTLET *Coll. Ænei-nasi.*

Ali.

AL SERmo PRINCIPE FEDERICO Conte Palatino del Reno: Duca dell vna & dell altra Baviera: Elettore del S. R. Impo &c.

GIàmai dal Ciel coppia fù scelta in terra
D' ardor conforme, e di beltà infinita
Più sublime, più casta, & più gradita
Più d' Allor degna e Palme; in pace è in guerra:
Onde tal prole vscir scorgo, che atterra
Gl' Idoli, l' 'el Roman Mostro spento addita;
Che tal di lui la mente è stabilita
Che 'l tutto puote, e nell' oprar non erra.
Giubila il gran BRITANNO internamente
Co'l Reggio Sangue; e per fatal destino
D' ogn' huom gioisce il cor, l' alma, e la mente.
Gode a pieno Himeneo, ch' ode il divino
Amor cantando é sprimer chiaramente;
Felice ELISABETTA, e'l PALATINO.

ALA SERmia GRAN PRINCIPESSA ELISABETTA.

A Fhebo il crine; e la fronte a Narciso;
A vener gl' occhi; al porpureo celeste
Le guance; e a d' Amor l' arco le conteste
Biondette ciglia, hà tolto il Reggio viso:
Agl' Angelici chor del Paradiso
L' armonia dolce, che Pallade investe;
Tal che chi ben rimira, e quelle, e queste
Parti, ammutisce, e ne riman conquiso:

Ai bei rubin, le labia colorite;
Et il candor, ch' in picciol bocca siede,
A un' ordine di perle, alm' e gradite:
Ala Triforme il mento, che da fede
Con l' altre doti, che Gio ie scolpite
L' habbia la sù ne l' alta empirea sede.
Onde in voi chiar si vede.
FIAMMA IMMORTAL tutta beltà divina;
Gratie ch' a pochi il Ciel largo destina.

L' infelice LODOVICO PETRVCCI *Cavaliero, già Capitano, e Sargente maggiore.*

IAm malè diviſi *Britones* dicuntur ab orbe,
Cum tua diviſos quondam, connubia iungant
Fædere perpetuo, quę ſunt reditura fideli
Lege *Palatinis* ſocialia fœdera terris.
Quæ non ignotæ diſrumpat inhoſpita gentis
Turma, nec audacis ſubvertat machina *Romæ*,
Parva inconcuſſis ſic prę valet *Inſula* nervis,
Prævaleatq; precor certo munimine Divûm.
CAROLVS Angliaci vivat diadematis Hæres,
Regna PALATINI ſociali iure SOROREM
Servent, Illa Viro, Vir fœliciſſimus Illâ,
Alter in alterius fœlix virtute ſuperſit.

Cum duplex vitâ ſtamen junxiſtis in vnâ,
Vtraq; vita ſibi ſtamina bina trahat.
W. POLE *Equit. fil. è Col. Oriel. in Art. Bac.*

ECce puellares geſtat *Saturnia* tędas,
Et clamat, GERMANE, ſuas Hymenæus ad aras;
Fortunata dies, et fatis proſpera, quâ TV
Vidiſti mœſtos peregrinâ claſſe *Britannos*;

P Aut

Aut quâ formoſam ſpectâſti primus ELISAM,
Ergò age & optatos cape quos ſpondemus honores.
Sic Germana fiet noſtro *Germania* regno
Et lætæ vivant æterna in fœdera gentes.

In te(Magne)ſuas congeſſerat *Anglia* laudes.
A te etiam laudes accipit *Angla* ſuas.

FR. POLE *Equit. fil. è Coll. Oriel. Art. B.*

ÆSonis abſumptum fatum Medea novavit:
Sic ſocero vitam prorogat arte nurus.
Aſt Patrem quid ſi revocaverit illa Marito?
Noſtra tamen multùm præſtat ELISA magis.
Nam dum natus abeſt quem tu(IACOBE)requiras
Dumq; tibi charus,(CAROLE)frater abeſt.
IACOBVM reparat,reparat te CAROLE: Nubens
Arte ſalutiferâ reddit Eliſa DVOS.

I. FLEMMING *Exon. Coll. in Art. Bac. Eq. fil.*

Ad Regem.

LIlia trina tui decorant inſignia regni,
Et decorant regnum *Lilia trina* tuum. (nat
CAROLVS exornat, FRIDERICVS adornat;& or-
Juncta PALATINO dulcis ELISA toro.

Cynthia nativo ſplendore refulget: at illa
Phœbæo majus lumine lumen habet.
Sic magno fulgore micat,ſic ſplendet ELISA
Sed FRIDERICE tuo lumine maior erit.

Vere

Gordius Hiſpano non eſt reſecandus ab enſe
Nodus,& alterius lætetur *Gallia* tædis.
Poſt tot neglectos remanes,*Comes* inclyte,ſolus,
Qui nodum ſoluas,& tanta trophæa reportes.

GV. CROSSE *Sancti-Marienſis.*

VNus vt excluſit *Latonia* pignora partus,
Prodijt *Ogygijs* obruta *Delos* aquis.
Anglia Delos erat,lacrymarum gurgite merſa,
Emerſa auſpicijs(oh nova *Nupta*) tuis.
At vos perpetuò feſtum hoc celebrate jugale,
Non ſalis expertes,ſed ſine *felle*, joci.

FRANC. SMITH *Ænei-Naſ.in Art.Bacc.*

PRincipis Autumnum (ah in dulci Vere cadentis)
Ploravit cantu *Melpomene* querulo.
Ver ſequitur.(*Zephyros* plaudentes murmure cernas;
Ecce,Hymen hilares vt modulantur aves!)
Comica dejectæ ſuccede *Thalia* ſorori.
Funeream extinguat lucida tæda facem.
Tollantur nexæ mœſtâ de fronde corollæ,
Et viridis circùm tempora myrtus eat.
Huc *Hymenæe* veni croceo velamine cincte,
In numerumq; pedes cogite vos *Charites*.
Sume tibi ceſtum blandiſſima mater amorum,
Et Venerem in terris hanc *Cytherea* cole.
O thalamis Lucina faue, jamq; alma vocata
Non æquando adſis pronuba *Iuno* pari.
Vt ſoboles FRIDERICO,& ELISÆ germinet, implens
Fœlix æterni nominis auſpicium.

MATH. COLMORE *in Art. Bacc.C.C.C.*

EPITHALAMIA.

Παλωδία sive Nuptialis Cento.

Musæus

1 Εἰπὲ θεὰ φανερῶν ἐπιμάρψυσα λύχνον ἐρώτων,
8 Λύχνον ἐρωτοφόρον ἄγαλμα * θαλαμηπόλον Ἀφροδίτης 6
2 Καὶ νύχιον Πλωτῆρα * θαλασσαίων ἐπὶ νωτῶν, 313
4 Καὶ ἵππον Θαλασσινὸν, πόθεν, γάμε * Ἡλιοβήτης.
42 Δὴ γὰρ Κυπρογενὴς παννύμιος * ἦλθεν ἑορτὴ,
44 Παννυχίην δ' ἔσπευδον * ὁμήλικες, ἦδε χορεῖαι 191
Ἠιθέων παρέασιν * Ἀδωνιάδι καὶ Κυθερείῃ. 43

De Sponso & Sponsâ.

16 Ῥῆγος ἔην Θαλάμοις τὸ * δ' ὤρεος * ἐλλέεσι κιχήσας 149
Ἡγρευε * Ἥδιστον καὶ Παρθένον : ἤνομα δ' αὐτῶν 19
20 Ἰμερόεις Φρισάρτιος ἔην καὶ Ἡλιοβήτης,
33 Ἄλλη Κύπρις ἄναντα * διοτρεφὲς ὦμα λαχοῦσα, 30
41 Ἀλλ' ὅδ' ὡς ἀλέεινεν * ἀνικήτῳ πυρὸς ὁρμῇ· 91
73 Τίς γὰρ Ἠιθέοισι * πόθῳ ἐρέθησι καὶ αὐτὴν, 29
159 Θυμὸν ἐρωτοδόκοισι * δαμεὶς ἀδμίχλιον οἴστοῖς. 88

Sponsæ ad Sponsum de longo itinere congratulatio.

268 Νυμφίε πολλὰ μόγησας, ἃ μὴ πάθε νυμφίος ἄλλος,
Νυμφίε, πολλὰ μόγησας· * ἐπήλυθε χείματος ὥρη, 293
316 Μαρμαίρων δ' ἀνέμων * φόβος ἀκαλέρυκε θαλάσσης 300
304 Κηλεῖδες, καὶ πᾶσι. * τ' ἀστέρες ἄλλον ἐρώτων, 308
257 Λευγαλέης ἀυρῆσιν * ἀπείσβεσε πικρὸς ἄελλης. 329
142 Δεῦρ' ἴθι, μισοπόλεμε * μαλίφρονα δεσμὸν ἐρώτων : 147
248 Δεῦρο μοι εἰς φιλότητα : * ἐμὴ φιλότητι μιγείης : 178
271 Δεῦρο πιὼν ἐδρῶτας ἐμοῖς ἐν ἰκάδεσσι κόλποις.

Sponsi ad eandem responsio.

112 Αὐτὰρ ὁ δαρταλέως * ῥοδέην ἐξέσσατο χεῖρα· 116
267 Νυμφίος ἀμφιχυθεὶς, * γλυκερήν τ' ἀνενείκαλο φωνὴν : 172
218 Λύχνος ἐμῷ θιάσοιο, * καὶ Ἀγγελίη Γαμαλίων : 222
198 Ἀεκόμωπες ἔρως * ῥοδέων * ἐδίδαξε κελεύθους : 175
152 Σεῖο μὲ Κύπρις ἔπεμπε, * νέην παρὰ κοίλην ὀπάσσαι, 83

Καὶ

213 Καὶ μὴν ὀπιπεύων, * Νυμφοστόλον ἄεσσον ἐρώτων, 10
205 Οὐ τρομέω βαρὺ χεῦμα * κὴ ἄβροχον ὀλκὸν ἀμάξης· 214
208 Νήξομαι Ἑλλήσποντον * ἔχειν ὁμοδήμιον Ἠρῶ. 70
295 Βένθεα δ' ἀσπείλατα * κὴ ἄγγελον ὄιδμα πεπήσω, 203
Εἰ πυρὶ παφλάζοιτο, * πιὴν μεταπεύσεσθ' ὑγρὴν. 205

Egredientis Sponsi descriptio.

333 Ἦλυθε δ' Ἡριγένεια * φαεσσοφίη, Ὑμεναίων, 202
59 Ὡς ῥόδον ἐκ κλισίων. * ὃτ' ἐυσεφάνῳ Πόσις Ἥρῃ 220
55 Ἦλθε Θέτις ἀνὰ νῆον ἐπωχέλῳ * δάρσει ἀείρας· 243
254 Λαμπόμενος τ' ἔσπευδε γάμοις ὀπίοσι πλάσαι. 179

Egredientis Sponsæ descriptio.

72 Ἐσσύμενον ἰδέειν ἔχεν * ἀπ' ὀφθαλμοῖο βολάων, 94
120 Θαρσαλέως ὑπόδησιν ἐφέσσατο * ὃν παρακοίτην 337
160 Παρθενίκην ἀθύγατρος, * ἱλασκομένη Ἀφροδίτην, 38
173 Αἰδῶς ἴχνος ἐρεύθος * ἀπασφάλυσε προσώπου. 56
63 Πολλαὶ δ' ἐκ μελέων χάριτες ῥέον· * ἢ τις ἐφαίνῃ 59
86 Εὐκλέα τ' Κέρην * χωρίτων μία πλοτιζόων. 77

Nox Hymenalis.

282 Νύξ μὲν ἔην κείνοισι γαμοστόλος, * ἕσπερος ἀστὴρ 111
276 Καὶ δάλιον ὕσταλε σέλας * θαλαμήπολον ὄρφνην· 231
146 Ἐσὶ γάμος κὴ λέκτρα· * ἐϋμφοκόμησε δ' ἀμύχλη, 280
273 Καὶ θεσμῶν ἐπίβησαν ἀριστοτόκοι Ὑμεναίου,
341 Ἀλλήλων τ' ἀπόναιτο * πλεὼν γάμοισιν ἐώρης 279

Epithalamium utrique & ominis precatio.

104 Χαίρετ' ἐπ' ἀγλαΐαισιν * ἀειδομένων Ὑμεναίων 281
36 Μῶμοι ἀλευόμενος, φρικόρρηκε συός * πλίκος ἤβης 35
Ἠλισαβίδ, πέρι πολὺν ἀρισεύσασα γυναικῶν. 67
291 Οὐδ' ἀλίγην ζωὸς καὶ ἐπὶ χρόνον, * Ἀσέρες ἀμφὼ 22
Ἴκελοι ἀλλήλοισ'· * ὃς ἄφελεν Αἰθέριος Ζεὺς 8
336 Λύχνιε σὸν νυμένοιο * ἄγειν ἐς ὁμήγυιν ἄεσσον. 9

HEN. KINGE *Bacc. in Art. ex Æde Christi.*

COnjugium veſtrum numeroſâ prole beatum
Quis fore deſperet, quorum ſic numina ſola
Ingenium fœcundant? Nam inter vota preceſq;
Heu quantum devirginat vnuſquiſq; papyri?
Naſcitur & quantus nobis *Liber*, ingeniiq;
Quàm varij fœtus, quot item naſcuntur abortus?
Quot tamen expoſiti? Nec ſic brevis iſte libellus
Fit, Lector quin ſæpiùs ἐγκολπικὸν optat.
Hi quoq; parte ſui mutili ſunt, ingeniorum
Nam luxum Cenſoria VIRGA coërcuit omnem.
Iſte Solœciſmus tamen an non eſſe videtur,
Audeat vt metrum caſtrare χαμαίλιον vllus?

PETRVS VERSORIVS.

HÆc nova cum celebrent omnes Connubia, noſtra
Muſa dabit ſacris his ſua thura, preces.
Æquũ eſt quod poſcit, precibus quod flagitat æquũ,
Tam facili, atq; æquo ſis *Venus* æqua, jugo:
Poſt Lunas bis quinq; novas feſtina vocanti
SPONSÆ *Divæ* tuam fer Genialis opem;
Da ſobolem. Hìc ſiſtam: nam quid FRIDERICE precarer
Proli, cui genitor Tu, Tua ELISA parens?

RICH. CAPEL *in Art. Mag. è Coll. Magd.*

QVæcunq; hæretico nubit, *mortalitèr* illa
Peccat; concedo; ſic nova *Roma docet.
Tam ſanctos thalamos cur Papa invîdit ELISÆ?
Peccare haud licuit: noluit hæreticum.

*Tho. 4. diſt 37. q 1. art. 1 reſp. ad 5. argum. & Soto ib. q 12. art. 2. ad. 3.

HENR. IACKSONVS *in Art. Mag. C. C. C.*

Ger-

GErmanis FRIDERICVS & *Anglis* ELISABETHA
Agnoscit mundus *nomina* quanta sonant:
At nunc cum coeant, opus est vt adesset *Homerus*:
Contemnit tenues gloria juncta modos.

SAM. PRICE *in Art. Mag. è Coll. Exon.*

ANglica Germanis fluxit prosapia terris,
Quum proavûm sedes *Rhenus* & *Albis* erant.
Hinc non externas sedes, non extera regna,
Non sponsum externum (regia VIRGO) petis.
Vno vtriusq; venit de sanguine sanguis, & ambos
Germana Angligenis vnica terra dedit.
Sic gentes binas, quas vnio junxit in vno,
Fœlici æternus fœdere jungat amor.

A. HOW *in Art. Mag. C. C. C. Socius.*

Ad Principem Fredericum de nuptijs suis Mense Februario consummatis.

QVòd fœlix *Cerui* in nemore est *Venatio*, Mensis
Dictus erat Græcis iste ἐλαφηβολιών.
Quàm benè venaris nostris (DVX bellice) sylvis
Capta venit manibus candida CERVA Tuis.

HEN. GARNONS *in Art. Mag. ex Æde Chri.*

ANgla, vel Angelica est, quam diligis Inclyte PRINCEPS?
Expediam paucis, vtraq; Sponsa tua est.
Elisabetha fuit Christi cognata: sed ista
Quàm petis, aut Christi Nata, vel ipsa Dea.

Ma-

Macte Armis Musisq; potens, macte Inclyte Princeps,
Esto PALATINVS; sed comes esto Deus.

ELISABETHA Anglis faustum super omnia nomen:
Et tibi tèr fausti nominis instar erit.

Sit Domus ista diù pullata, sit atraq; semper,
In quibus *Henricus*, gloria nostra, cadit.
Ast *Frederice* precor, sint ALBA Palatia semper,
Quæ sunt conjugij nuntia vera tui.

TH. IAMES *Proto-Bibliothecarius Oxon.*

Ad D. Electam Elisabetham.

DEfunctum HENRICVM, Tu regia VIRGO reducis,
Cum *Comiti* tanto cœperis esse comes.
Germanus pro Germano, pro Principe *Princeps*,
Et FREDERICVS hic est, vt *Fredericus* erat.
Quid superest? CAROLVS nisi nunc vt avunculus hinc sit,
Gestet & in titulis Rex IACOBVS Avum.

DANIEL PRICE *Sac. Theol. Bacc. è Coll. Exon.*

GRatia sit vobis & gaudia longa Camœnæ,
Quæ tristes animas suffixaq; pectora curis
Eximitis luctu, restauratisq; triumphis.
Gloria magna Tibi Princeps FRIDERICE, & ELISA
Gaudia longa Tibi Thalamo dignissima VIRGO:
Vivite florentes, fœcundâ prole beati.

Diceris *Elector* meritò *Frederice*, puellam
Te elegisse pares vel dijs authoribus ipsis.

Rhe-

Rhenorum noſtris coeant ſi vota *Britanni*;
Fundimus has voces, has ferimuſq; preces.
Rheni iterùm populis & noſtræ fœdera genti
Firmet amicitiæ conciliator Hymen.

LAVR. HVMFREDVS *Sac. Theol. Bac. è Coll. Magd. Socius.*

Anagram.

FREDERICVS ELISABETHA STVARTA.
HIS *es, Libertas, certa futura Dea.*

VIncula cur Thalami *Tædas* (Hymenæe) *iugales*?
Vel cur *Coniugium* vis vocitare *Iugum*?
Colla iugo ſubdant alij quibus invida Fata:
HIS *es, Libertas, certa futura Dea.*

TH. WESTLEY *Mag. Art. è Coll. Magd.*

HEnricus FRIDERICVS erat notiſſimus orbi:
Notus at *Henricus*, non FRIDERICVS, erat.
Hinc ſubito Illius tremuit tota Inſula caſu:
Ingemuit nemo quod, *Friderice*, cadis;
Nec cadis: Ille cadit; firmus FRIDERICE ſtetiſti,
Dignus adhuc thalamis Sponſus, ELISA, Tuis.
Nunc quoque *Virgo* cadit celebris, dùm ſponſa ſuperſtes;
Dumque *Stuarta* perit, dulcis ELISA Viget.
Quâ, Fredericus erat, Frater, quâ es, Eliſa, Stuarta;
Nomine nunc condit Sponſus vtrumq; ſuo.
Non poterat *Frater* (dum Frater) carior eſſe;
Nec poteras *Fratri* carior eſſe *ſoror*.
Morte ſolutus amor non eſt; debetur vtrinque:
Cui ſolvas, quæris, quis tibi ſolvat? age.
Debuit *Henricus*; ſolvat FRIDERICVS, amorem:
Debet Eliſa parem: Tu FRIDERICE cape:

Sic duplici nodo dulces nectentur amantes:
Vnus erit *Fratris*, *Coniugis* alter amor.

T. I. C.C.C.

De Vnione Germaniæ & Britanniæ per haſce nuptias.

Ne Veneti jactent tumidi connubia Ponti,
Non mare, ſed populos terra *Britanna* jugat.

Ad Eliſabetham.

Graiugenûm ſponſæ primos à luce jugali
Narrantur vitæ dinumerâſſe dies:
Anglus luce tuâ reparatos computat annos,
Quæ thalamo reficis mortua regna tuo.

GVLI. CROFT *ex Æde Chriſti in Art. Bacc.*

Vraniæ fili, Thalamis qui pſallere nôſti,
Quemq; pias Tædas conſociâſſe juvat.
Cinctus odoriferis huc tempora floribus adſis,
Connubiale tuâ concine voce Melos.
Tuq; piæ tædæ pia cuſtos, pronuba Iuno
Adſis conjugijs, præſes adeſto dea:
Namq; PALATINO Comiti iungetur ELISA,
Non minùs (En) digno, fæmina digna viro.
Qualitèr in Thalamum formoſa Semiramis ivit,
Non ſecùs in Tædas ibit ELISA ſuas.
Conjugijs ideòq; iſtis *Hymenæe* vocate
Adpropera, & carmen connubiale cane.

RO. BRADDILL *Aul. S. Mariæ Principalis.*

Cur

CVr mancus mutiluſq; foret *Februarius* vnus?
Cur & *November* integer?
Deme precor *Quintumq;* Diem *Sextumq;* Novembri;
Addas duos ſed Alteri.
Iſte datus *Morti*; ſacratus *Proditioni*:
Illi *Maritus* gratior.
Vis plùs Lætitiæ? Luctus minùs? Iſte ſecundus
Sit claudus; Alter integer.

E. L. *Magdal.*

QVid calamus prodeſſe meus? quid linea poſſit
ELISABETHA Tibi, vel FREDERICE Tibi?
Ampla & certa Salus eſt Veſtra: mihiq; magiſter
Hippocrates: *Sanis non opus eſt medico.*

TH. IOHNSON *Orial. Med. Doct.*

SIc vbi pampineis vitis redimita corollis,
Nexa comã gemmis, Tyrio quę fulget in oſtro,
Tempeſtiva viri thalamo coniungitur vlmi,
Mox & palmitibus crebris, & prole ſuperbit
Plurimâ, & innumeris gaudente nepotibus vlmo.
Aſpicit hos lætus ſub opacâ vinitor vmbrâ,
Atq; ait (o) vivant per ſecula multa Hymenæi;
Haud aliter teſtumq; diem, & connubia læta
Flos iuvenum FRIDERICE tibi, & pulcherrima ELISA
Heroina Tibi, quæ dotatiſſima formâ
Suave ſerenato rides vt *Cynthia* cœlo.
Nuuciat ordo omnis, ſexuſq; ætaſq; precando
O fauſti vivant per ſæcula multa hymenæi.
Pangite fœcundæ plantaria, pangite olivæ,
Pubeſcantq;, ſacramq; domũ, denſo agmine cingãt
Induperatores, Reges, Rheniq; Monarchæ.

Vivatis, valeatis, & inconsumpta juventus
Efficiat semper juvenem te, teq; puellam,
Victuros iterum quicquid vivatis, & ipsa
Nomina quæ in primo sumpsistis fœdere, semper
Annue (summe pater) per sæcula servaturos.

I. Bvdden *I.C. Profess. Regius. Aul. Nov. Hosp. Princip.*

EN nuptiarum splendor exoritur novus:
Dij coniugales, nodus vt constet sacer,
Adeste tædis, clariùs solito micent.
Virtus decori iungitur, Divus Deæ,
Germana Britonum Diva Germano Duci.
Vt prêndat Aquilam, det deus Germanicam.

Connubio junxit stabili Par nobile Christus
Semideum Sponsæ, Semideamq; Viro
Vir Sponsæ decori, decori sua Sponsa Marito est,
Alterver sexus, lausq; stuporq; sui.
Vna vtriq; ætas, maiestas vna, fidesq;
Vna vtriq;, vnus relligionis amor.
Quæ deus vniuit, numerosâ prole secundet
Pacta maritalis Rheno-Britanna thori.

I. Bancroft *D. Theol. Coll. Vniversit. Magist.*

CArmina non faciunt longum, sed gaudia librum;
Instant augurijs risus amorq; suis:
Nec fieri justumvè potest, longumvè volumen,
Ni ferat innatos publica Musa jocos.
Scriptori labor est nostro non esse beato,
Dum spectat Thalamos Elisabetha tuos.
Sed caret ingenio risus; nam dum cupit esse
Longior in versu passio, Iudicium est.

FINIS.

X6084